









Vale. Datum. 4. Calend. Quint.

M.T.C. P. Attico S. At. lib. 3. Epist. 4.

Miseriæ

an Pisistratum sit imitaturus. Hæc vel

& me iuues consilio. Etsi te ipsum istic ian

to. sed tamen quantum poteris. Ego si qu

habeo quod ad te scribam: quin etiam epi-
n, quam eram elucubratus, ad te non dedi.
plena spei bonæ, quod & concionis volunta-
tem

ra. Valdè aueo scire quid agas. Idibus M.

M.T.C. T.P. Attico S. A.2.10.

… ut sciam. Nos in Formiano esse volumus, … pridie Nonas Maias, …

… ad te scripseram, me in Epiro futurum, po- … quam extenuari spem nostrã, & euanescere vidi,

M.T.C.P. Attico.S. A.7.6.

… illud solenne seruemus, ut … euntem sine literis dimittamus. De Repu… meo, nec adhuc ferè inueni, qui non concede… taret Cæsari, quod postularet potius, qu…

...deli cate, sed etiam inepte peregri-
. Quare vsque ad nonas Maias te in For-
expectabo. Nunc fac, vt sciam, quo die te vi-
us. Ab Appij foro hora quarta dederam, ali-
lò ante, à tribus tabernis. Vale.

M. T.C. T.P. Attico S. A.2 11.

...ro tibi, planè relegatus mihi videor, postea-
am in Formiano sum. Dies enim nullus erat,
um essem, quo die non melius scire Romæ quid
r, quàm ij, qui erant Romæ. Etenim literæ tuæ
m quid Romæ, sed etiam quid in Republica:
m quid fieret, verumetiam quid futurũ esset,
ant. Nunc, nisi siquid ex prætereunte viatore
m est, scire nihil possumus. Quare quanquã
sum expecto, tamen isti puero, quem ad me
ussi recurrere, da ponderosam aliquam episto-
nam omnium non modò actorum, sed etiam
m tuarum: ac diem, quo Romæ sis exitu-
a vt sciam. Nos in Formiano esse volumus,
...

re, ne ante in Senatum accederem...
cissem: ne dicendis sententijs ali...
lienarem. Quid quæris? in hoc iudici...
monis nihil potuit esse prolixius. De R...
ta mecum loquutus est, quasi non dubi...
beremus, nihil ad spem concordiæ. Pla...
alienatum cùm ante intelligeret, tum
iudicasse, venisse Hircium à Cæsare, q...
miliarissimus: ad se non accessisse, & cù...
dus Decemb. vesperi venisset, Balbus a...
stituisset ad 7. Iduum ad Scipionem ante
se, multa de nocte profectum esse ad Cæsa...
τεκμηριῶδες videbatur esse alienationis. Q...
nihil me aliud consolatur, nisi quòd illum...
nimici alterum consulatum, fortuna sum...
tiam dederat, non arbitror fore tam a...
hæc in discrimen adducat. quod si ruer...
ego multa timeo, quæ non audeo scribere...
est ad 3. Nonas Ian. ad vrbem cogito.

M.T.C.P. Attico.S. A.7.6.

μεῖζον ἔποι τὸ κακὸν quam, cum qu...
...gabamus, aut cùm vt absentis ratio
...rebamus. nisi fortè hæc illi tum arma
...unc cum bene parato pugnaremus. Di-
...ctur sensurus es? non idem, quod dictu-
...enim omnia facienda, ne armis decer-
...idem quod Pompeius, neque id faciam
...o. sed rursus hoc permagnum Reip. ma-
...quodam modo mihi præter cæteros non
...n tantis rebus Pompeio dissidere. Vale.

T.P. Attico. A.7.10.

...silium cepi, vt antequam luceret, exi-
...ui conspectus fieret, aut sermo, lictoribus
...ureatis. De reliquo, neq; hercule quid a-
...turus quid sim, scio, ita sum perturbatus
...nostri amentissimi consilij. Tibi verò quid
...uius ipse consilium expecto. Cneus noster,
...j ceperit, captátue, nescio: adhuc in op-
...tatus, sed stupent omnes. Si in Italia con-
...nus vnà, sin cedet, consilij res est adhuc
...isi ego insanio, stultè omnia & incautè a-
...Tu quæso ad me crebro scribe, vel quod in

...nicie mea, in qua quod confectum esse ...
erat huiusmodi, vt mihi vltra quingenta mil...
ret esse. Illò cùm peruenire non liceret, stat...
Brundusium versus contuli ante diem rogatio...
& Sicca, apud quem eram, periret; & quod ...
esse non licebat. Nunc tu propera vt nos cons...
si modo recipiemur, adhuc inuitamur benig...
quod superest, timemus. Me, mi Pomponi...
pœnitet viuere, qua in re apud me plurimùm v...
sed hæc coràm. fac modò vt venias. Vale.

M.T.C. Attico S.D. A.1.13.

ASiam Quinto suauissimo fratri obtigisse ...
non enim dubito, quin celerius tibi hæc, ...
quam vllius nostrûm literæ nuntiarint. Nu...
niam & laudis auidissimi semper fuimus, & ...
cæteros φιλέλληνες, & sumus, & habemus, & m...
odia, atque inimicitias, Reip. causa suscepim...
τοῖς ἀρετῆς μιμνήσκεο, curáque & effice, vt ab om...
laudemur, & amemur: his de rebus, plura ...
ea epistola scribam, quam ipsi Quinto dabo...

s? an aduersatæ sunt Cæsaris literæ? An est
in spe? etiam illud scripseras eundem secun-
nitia dixisse. Fac, si vides, quantis in malis
si putas esse humanitatis tuæ, me fac de tota
stra certiorem. Nam Quintus frater homo
ui me tam valde amat, omnia mittit spei ple-
uens credo defectionem animi mei. Tuæ au-
ræ sunt variæ, neque enim me desperare vis,
rè sperare. Fac, obsecro te, vt omnia, quæ à
ci possunt, sciamus. Vale.

M.T.C. T.P. Attico S. A.3.11.

& tuæ literæ, & quidem boni nuntij, non opti-
tamen auctoribus, & expectatio vestrarum
n, & quòd tibi ita placuerat, adhuc Thessa-
nebant. si accepero literas, quas expecto, si
ea, quæ rumoribus afferebatur, ad te me con-
i non erit, faciam te certiorem quid egerim.
t facis, opera, consilio, gratia iuua. Consolari
ne, obiurgare verò noli. quod cùm facis, vt
amorem & dolorem desydero: quem ita af-

accepi literas tuas, Philotimi, Furni
Furnium: quibus irrident L. Cæsari
Planè oppressi videmur: nec quid cõsili
nec me hercule de me laboro. de pueris q
habeo. Capuam tamen proficiscebar hã
facilius de Pompeij rebus cognoscerem.

T.P. Attico: ad Atticum. lib.7.

BReuiloquentem iam me tempus ipsu
cem enim desperaui. Bellum nostri n
nistrunt. Caue enim putes quicquam es
Coss. quorum ego spe audiendi aliquid, e
di nostri apparatus, maximo imbri C
pridiè. Non, vt eram iussus. Illi autem n
rant, sed erant venturi, inanes, imparati
Luceriæ dicebatur esse: & adire coborte
vicinarum non firmissimarum. At illum
ciant, & iam, iamq; adesse, non vt ma
(qui cum enim?) sed, vt fugam interclu
tem in Italia καὶ συναποθανεῖν, nec te in id co
tra quid ago? Ad manendum hyems,

eris rescribas. Mulieres, & Cicero[...]
reliqui. Vale.

P. Attico: ad Atticum. lib. 7. 21.

[I]talia video nullum esse, qui non istius
[...]it. De Pompeio scio nihil, eúmq; nisi in
[...]ulerit, exceptum iri puto. O celeritatem
huius autem nostri! Sed non possum si-
[...]usare eum, de quo angor, & crucior. Tu
[...]ne causa times, non quominus quicquã
[...]ari ad diuturnam victoriæ & domina-
[...]deo quorum arbitrio sit acturus. Rectè
[...]endum de oppidis ijs. egeo consilij. quod
[...]tu videbitur, facies. cum Philotimo
[...]e adeò Terentiam habebis Idibus. Ego
[...] qua aut terra, aut mari persequar eum,
[...]escio? Et si terra quidem, quî possum?
[...]radam igitur isti me. fac posse tutò. Mul-
[...]antur num etiam honestè? Nullo modo
[...]petam consilium, vt soleo. Explicari res
sed tamen si quid in mentem venit, velim
[...]se quid sis acturus. Vale.

[...]
tibi meos commendo. me vix, misereque su[...]
Vale. *Data 14. Calend. Maij. Tarenti.*

M. T. C. T. P. Attico S. Ad Atticum li. 3. Epist[...]

POst tuum à me discessum literæ mihi Ro[...]
tæ sunt, ex quibus prospicio, nobis in hac [...]
tate tabescendum esse. neque enim, (sed b[...]
partem accipies) si vlla spes saluti nostræ sub[...]
pro tuo amore a me hoc tempore discessisses. Se[...]
grati, aut ne omnia velle nobiscum vnà inte[...]
deamur, hæc omitto. Illud abs te peto, des op[...]
quod mihi affirmasti vt ante Calen. Ian. vb[...]
erimus: sistas. Vale.

M. T. C. Attico S. D. A. 3. 16.

TOtum iter mihi incertum facit expectati[...]
rum tuarum, Calend. Sex. datarum, non [...]
liquid: si spes erit, Epirum, sin minus Cyzi[...]
aliud quid sequemur. Tuæ quidem literæ, q[...]
à me leguntur, hoc spem mihi faciunt minore[...]
cùm lectæ sunt, tum id quod attulerunt ad sp[...]
mant: vt facilè appareat, te & consolationi[...]
& veritati: idque te rogo planè vt ad me [...]

IN PHYSICAM GVLIELMI ADOLPHI SCRIBONII,

Post secundam editionem ab autore denuò copiosissimè adauctam, & in III. Libros distinctam.

Animaduersiones Timothei Brighti Cantabrigiensis, medicinæ Doctoris.

William Lowth



CANTABRIGIAE,
Ex officina Thomæ Thomasij.
1584.



NOBILISSIMO VIRO ET MODIS OMNIBVS GENEROSISSIMO PHILIPPO SIDNEO equiti aurato.



ANTA virtutis vis eſt (generoſiſſime *Sidneie*) vt etiã in ignotos mirabiles excitet amoris illecebras. Te mihi ſemel tantũ in vita contigit videre, idq; illa Gallicis Eccleſiis funeſta tẽpeſtate (cuius pars fui, & animus meminiſſe horret, luctuque refugit) matutinis Pariſienſibus: Atque tum adoleſcens, pietatis & ſapientiæ herbeſcens ſpes iuuentutis & confirmatæ ætatis futuræ ingentem virtutis meſſem patriæ, ac Reip. pollicebatur: & eandem recte iudicantibus, & ſatis acutis, plane cõfirmabat. Ex eo tempore hominum expectationem ita ſuſtinuiſti, & ſpem virtutibus alebas, vt conceptam de te exiſtimationem geſtis longe ſuperes. Percepit huius meſſis fructum ex obi-

ta legatione Anglicana Resp. percepere literati quàm plurimi, nostrates & exteri: & aliquando oblata maiore virtutis materia vberiores Resp. fructus est perceptura. Scriptorum mos est qui aliquid præter vulgarem hominum opinionem literarum monumentis mandare student, patronum deligere, qui iudicio pollens probet quod alij vel haud capiunt imperiti, vel peritiores refractarij & inueteratum errorem deponere recusantes improbent, quò scriptis ex patroni dignitate autoritas accedat, & ex iudicio, imperitorum importunitati, & peritorum maleuolentiæ modus ponatur. Hinc alij imperatores, alij reges, alij magnates, omnes de re iudicantes implorarunt, vt liberius & tutius vacare liceat studiis optimis, & aliis profuturis. Neque id eo tantum consilio, vt securitati suæ consulant, & existimationem ex Patroni authoritate captent, sed vt eis ipsis quibus veritatis tutelam credant, ex patrocinio honor accedat, & ex huiusmodi monumentis posteritas intelligat, ita vitam instituisse, vt doctis & bonis cari fuerint, atque rerum optimarum fuisse in vita studiosos. Multa grauissima & indigna in omni genere veritas passa est: Religionis crudelissima: secundum hanc Logicum lumẽ (post

religio-

religionem donum Dei maximum) indignissima tulit. Possem nonnulla exempla memorare, crudelissimum verò grauissimi Philosophi Petri Rami casus ostendit, cui Methodi professio, & artibus reformandis Logicæ purioris vsus, calamitatem maximam attulit, & necis tandem altera causa fuit. Ita homines vel superbia vel pertinacia, malunt semel imbibitos errores cum alterius contumelia & damno defendere, quàm ex aliorum consiliis & monitis sanitati mētis consulere. Ergo (ornatissime *Sidneie*) veritatis propugnatores semper patronis, ad tempus saltem dum se probet veritas, indiguere. Huius ego in medicina ad methodum componenda, ex honoratissimi sapientissimique Dom. Burlęi gratia, vsum sensi permagnum, per quem & tutius & liberius medicinæ corpus ita curare contēdo, vt methodo & ordine nihil cedat aliis humanitatis artibus ac disciplinis. Hunc quia acri iudicio pollet, & magnum Reip. columen, nostra arte volumus & optamus esse saluum, dignissimum & aptissimum iudicaui, cui opus (ob insolentiam a multis haud satis attente rem considerantibus improbatum) cæteris perspicaciori, & liberioris iudicij commendarem: qui (qua est humanitate) agnouit institutum,

tutum, & ex comprobato ſtudio animum addidit operis aliquando & maioris, & tanti patroni amplitudine dignioris. Qualem ego hunc in medicina habeo, talem te in Phyſicis iudico, ampliſſime *Sidneie*, ſcientia & acumine. De certis Phyſicæ capitibus mihi cum Adolpho Scribonio interceſſere diſputationes. hic quod ego in medicina ſtudui in Phyſicis conatus eſt, ter opus reuoluit, mihi non placet in multis. non quod inſtitutum & animum vituperem, nam profectò nihil præclarius, nihil laudabilius aut melius, ſed ſiue operis difficultate, ſiue iudicio, ſiue quia in opere ſolus, quod inſtituit & optat in plurimis non aſſequitur. Ego partium mearum arbitrabar ſuccurrere ſoli, mitigare difficultates, & iudicium erranti corrigere: quod quia ego in hoc ipſo genere nonnihil laboraui, & vt tanto acrius Scribonius incumbat opere, eo liberius facio & libentius. Hic te appello arbitrum (ampliſſime *Sidneie*) quem ſi ex virtutibus & multiplici rerum ſcientia norit Scribonius nunquam recuſabit honorarium. Accipies de variis Scribonianæ Phyſicæ partibus ſententiam meam: id tantum laboro, vt ex percepto & deuio agnito ipſe per ſe redeat in viam. Concitatè currenti læuiſſimus impulſus au-

get

get celeritatem, & Scribonio veritatis ſtudioſo, & rerum phyſicarum, & methodi peritiſſimo ſatis erit vel quod agendum ſit innuere. In tanta varietate alteri ſuccurrẽs labi ipſe potui. Is tamen animi promptitudinem (ſpero) boni conſulet, & tu virtutum tuarum ſtudioſiſſimum Brightum ex his intelliges. qui cum aliæ rationes teſtãdi deſint, ex Muſis & Philoſophiæ ſtudiis iſtud extare voluit teſtimoniũ, opere (concedo) perexiguũ, animi tamen voluntate (ex qua ponderari cupio) maximum. Omnia honoratiſſimi Frãciſci Walſinghami, iam merito ſuo ſacri conſilii ſocii, ſoceri tui, familiæ debeo: cuius ſumma pietas inter illos Gallicos furores & undique à crudeliſſimis ſicariis manantem piorum ſanguinem, ſaluti mihi fuit. quid dico mihi? etiam cunctis gentis noſtræ (papiſticæ ſuperſtitionis puris) Lutetiæ tum perigrinantibus (inter quos ipſe tu *Philippe* eandem expertus fortunam ſoceri virtutem prædicare potes) neque iis modò, ſed & exteris nõnullis pauore fractis & clade ſubita & horrenda exanimatis honoratiſſimi F. Walſinghami ædes patuere aſylum. Propero ad Scribonium: tu aliquid otii nobis à rebus grauioribus concedes, & aſſidebis iudex, non vter vincat (nam id negligit philoſophi-

cus

cus animus) Sed eiusmodi-ne noster labor sit, & eatenus Scribonio vtilis, vt ex leui, & familiari admonitione intelligat, adhuc ei & ad nomen, & ad rei physicæ studiosorum vsum multa superesse. Accipe igitur istud amoris mei symbolum. neque contra libera philosophorum iudicia immunitatem posco, sed vt te approbante, nonnullorum aduersus Rameam methodum obfirmatos animos tolerantius feram, & quorundam inuidiam, qui soli rerum optimarum autores haberi volunt, securius contemnam. Id si impetraro Physica nostra multa debebunt tibi: & si gloriosum sit à musis ipsis prædicari, celebrabunt te pium, literatum, prudẽtem, & omnia quę de viro optimo dici solent. quibus magnis virtutibus si opusculum ignobilius, longe impar, obscurius prædicat te, quàm dignitas tua postulat, iube modo maiora, expiabimus factum pædeuticâ, & genesi Physicâ. atque Scribonius me non tãtùm erroris eum admonere paratum sentiet, sed etiam rectum, pro facultate, ostendere promptum percipiet. Vale. Ipswicho. 16. Martij.

Tui nominis studiosissimus
T. BRIGHTVS.



IN G. SCRIBONII PHYSICAE LIBRVM PRIMVM ANIMADVERSIOnes Timothei Brighti Cantabrigienſis.

Primùm de ſpiritualibus rebus, deinde de corporatis ſimplicibus, & concretis brutis.

1 PHYSICA *eſt rerum naturalium ſcientia.*

2 *Res naturalis eſt eſſentia per ſe ſubſiſtens.*

3 *Rei naturalis facultas ſive agendi poteſtas, eſt quælibet qualitas. Omnis enim ſubſtantia ſuam habet efficiendi virtutem.*

4 *Natura autem omnis vel formata tantùm eſt, vel materiata.*

5 *Formata natura eſt ſimpliciſſima, quę per ſe ſolius formæ ſuæ proprietate abſque corpore conſiſtit.*

6 *Huius generis ſunt mentes, ſive ſpiritus.*

7 *Spiritus ſunt eſſentiæ formatæ rationales & immortales.*

8 *Ratio est facultas spirituum, intelligentiam voluntatemq́; ciens.*

9 *Intelligentia est functio omnia omnino cognoscens.*

10 *Voluntas est functio omnia liberrimè eligens.*

11 *Spiritus alius infinitus est, alius finitus.*

12 *Infinitus est solus Deus.*

Deus est spiritus infinitus, & ab æterno optimus.

Essentia nempe prima & suprema, sed tamen absq; principio, eaq; vnica & indivisibilis.

13 *Deus autem est tum Pater, tum hypostasis à Patre existens.*

14 *Pater est persona deitatis omnium aliarum naturarum creatrix.*

15 *Hypostasis à Patre existens est tum Filius tum Spiritus sanctus.*

Filius est persona hypostatica à Patre coessentialiter genita.

Spiritus sanctus est hypostasis ab vtroque, Patre & Filio, procedens.

16 *Finiti spiritus sunt essentiæ ad imaginem Dei altissimi factæ.*

Eiusmodi sunt tum dæmones, tum hominum animi.

Dæmones sunt spiritus finiti, Dei creatoris ministri: à quo ministerio Angeli nuncupantur.

17 *Hi post Deum summa rerum intelligentia præditi hominum actiones diligentissimè obseruant.*

18 *Dæmones vel boni sunt, vel mali.*

19 *Boni sunt, qui in natiua sua dignitate persistentes, in cœlis Deo assistunt, divinæ eius beneficentiæ dispensatores.*

Ceu legati siquidem & consiliarij res humanas administrant, non tantùm gentibus & prouinciis totis, sed singulis etiam piis fidelissimi custodes addicti.

Hi

Hi ſæpe hominis vel alia figura aſſumpta comparuerunt, ſed nunquam niſi à Deo mitterentur iuſſa eius expedituri.

20 *Mali genij ſunt ſpiritus Deo rebelles, omnium malorum autores, impiiſque puniendis tanquam lictores deſtinati.*

** Vnde à cœleſti ſede deturbati aërem vniuerſum occuparunt ad decipiendum homines ſubdolè & verſutè circumeuntes.*

*Lapſum Angelorum Phærecides ſignificaſſe videtur, vbi deſcribit Ophin ſerpentem dæmoniacum rebellantis, & à diuinæ mentis placito deficientis exercitus anteſignanum, & principem fuiſſe. Similiter Empedocles, teſte Plutarcho in tract. de Fœnore, meminit dæmonum quorundam, quos vocat è cœlo ruentes.

Et hi ſæpiſſimè fallaci ſpecie aſſumpta, dæmonum bonorum præſentiam ſimulantes, plurima curioſis hominibus mentiuntur: interim cultores ſuos ad virtutem adhortantes.

Vix tamen comparêre ſolent, niſi cogantur, & vel ſuperſtitioſis ritibus, vel fictis nominibus diuinis vocentur, vt videlicet quoſuis eò meliùs præſtigiis ſuis irretire poſſint.

Ex varijs Philoſophiæ partibus, in quib. veritatis amantes, & rerũ optimarũ ſtudioſi elaborarũt, nulla aut ad vitam vtilior eſt, aut honeſtiore animum paſcit voluptate, illa, qua alię artes, & ad breuitatem & ad perſpicuitatem informantur; & horum ſtudium grata memoria poſteritati celebrandum, qui ita operam ponunt, vt diſcentes prolixitatis tædio leuentur, & difficultatis liberentur ſpinis, atque laberinthis. Quorum neutrum omnino fit ſine illis artium omnium informandarum inſtrumentis, à P. Ramo inventis, excultis, & ad facilem uſum accommo-

 datis:

datis. Ab eo habemus grammaticam, Rhetoricam, Logicam, Mathematicas disciplinas, quā priscis seculis multò politiores. Eo extincto, nonnulli in alijs disciplinis idem aggressi sunt: in quibus Adolphi Scribonij industria satis laudata in Physicis periculum fecit: á quo Physica definitionibus auctior, & divisionibus distinctior, & ipsa rerum infinitas arte succincta comprehensa, spem fecit maximam, & perspicuitatis, & brevitatis: quæ antè, tanquam indigestum Chaos, & comesta rudera, iacuit inculta, & spinis, ac vepribus obruta; caruit illa liberalis scientiæ dignitate, ac splendore. Ergo tu (Scriboni) inter Physicos facilè palmam feres, Physicorum Coryphæe; Sed (ut in rebus arduis fieri solet) cùm difficile sit in omnibus numeris parem artem ostendere, vel quòd haud vbique par est animi contentio, vel quòd faciliora magnus animus negligat: Nonnulla sunt (Scriboni) de quibus monitum te velim amicè, & familiariter, nulla vel calumnia, vel huiusce laudis, quam iure meritus es invidia, sed veri inuestigandi studio; animo planè Philosophico, & libero. Dabis ergo mihi veniam, vt quod Philosophica libertate licet, id per te liceat, inter Philosophos philomethodous excellentem. Scilicet quę iterum tibi ad incudem reuocanda censeam, argumentis eiusmodi esse demonstrem; asterisco notata tibi operis artifici corrigenda relegem. Præsertim cùm ter manum admoveris, poliueris, deterseris, & quodammodo tibi opere satisfeceris, facilè (vt spero) impetrabo. Accipe ergo (Scriboni) quæ mihi videntur adhuc vel quartò Scribonij industriam ac limam postulare.

1 *Rerum*] Res naturales omnibus artibus ingenuis

nuis

nũis,& liberalibus ſcientijs, materiam præſtant:neque harum aliqua eſt, quæ non de re naturali inſtituitur; ſiue ſubſtantiæ eæ ſint, ſiue harum affectiones; quicquid Natura editur, res naturalis eſt. Vel arte vel natura fit, quod vſpiam vniuerſitatis exiſtit; neque tertium dari poteſt. & ut Natura rerum, rerumque affectionum, fæcunda eſt: ita huius emula ars ipſa,& res producit opere,& tanquam apparatu, affectionibus illuſtrat,& adornat. quæ ut artificiales & ſunt, & rectè appellantur; ita ſponte Naturæ æditum huius imitatricis artis exemplar, rei naturalis nomen obtinebit. Quod namque non naturale eſt; quibus liberalis ſcientiæ præceptis continebitur? cum nec analogiam obtineat, nec certo numero comprehendi queat. Sermo homini naturalis eſt, & ſermonis ornatus: & ratio humanæ naturæ vim complectitur. De his Grammatica, Rhetorica, Dialectica inſtituunt: atque ita artes quælibet libero dignæ, nec ſordidæ, in Natura poſitum aliquid ſibi aſſumunt: in quo earum actio omnis, & perceptio verſatur. Plebeiæ verò, atque à Philoſophiæ ſtudio remotiores, quæq; manibus, non ingenio exercentur, extra Naturam poſitæ ſunt, & quicquid vbique uſui eſt mortalibus attingunt. Ergo res Naturalis latiùs multò patet Phyſicæ ſcientia. ideo nec huius ſubiectum exiſtit reciprocum. Rectiùs (mea ſententia) Naturam ipſam huius materiam ſtatuiſſes. Natura autem à re naturali aliud quid eſt, proprio & accurato ſermone, cùm hæc inde, vel tanquam á cauſa, vel á ſubiecto, denominetur. Tu verò rem omnem naturalem eſſentiam per ſe ſubſiſtentem eſſe vis; id in rem naturalem conferens, quod omnino Naturæ proprium eſt: Neque enim omnes res

naturales essentiæ sunt (ut facultates & qualitates) nec proinde per se subsistunt: quin Naturarum fulcris egeant, quibus innitantur.

2 *Subsistens*] Qui Deum mundi conditorem & prouidum Parentem statuunt (Scriboni) nec res ex se ortas, tanquam fatali æternitate specierum autumant: per se subsistere, Deo tantùm attribuunt, neque rebus creatis communicant, cùm à Deo sint omnia, & ab eo existant, & subsistant vniuersa. Itaque perperam quod Solius Dei proprium est, id etiam infimis Naturis commune facis: legis Veritatis, atque sapientiæ (si quid iudico) parum memor.

3 *Qualitas*] Rebus Naturalibus tanquam affectionem communem agendi facultates ascribis: quas qualitates esse doces. quasi omnis agendi vis à qualitatibus oriatur. Quod si ita sit, quò formarum actiones? Quarum præcipua vis est agendi, easne actione priuabis? quibus facultates, & qualitates omnes, ad opus excitantur; & quarum Naturæ præcipua est administatio? Neque placet quod qualitates quaslibet, agendi virtutes afferas; cùm omnis actio in patiente consistat, & tot numero sint patiendi, quot agendi, qualitates. Itaque altera pars qualitatum abs te prætermissa, dimidio mutilam, & mancam facit harum doctrinam.

4 *Natura*] Definitione & affectione communi explicata, vt methodi artificem decet, ad distributionem descendis, in qua præterita re naturali, Naturæ nomen assumis, vel quia idem cum re Naturali sonare putas; vel quia magis placet rei naturalis voce. Si assumis, quia proposito instituto

aptius

aptius iudicas, probo ſententiam tuam; cùm de Natura omnis Phyſica doctrina tradatur: ſin verò quia vtrumque idem ſonare exiſtimes, ob prædictas rationes, aſſentiri non poſſum. *Tantùm*] Natura (ais) omnis eſt vel formata tantùm, vel materiata. At (Scriboni) tunc Naturam vel animo fingas materia deſtitutam, & forma ſola conſtantem? cùm alterutra Naturæ pars exiſtit tantùm, nec integram Naturam compleat, quî conſiſteret forma ſine materia? Et ſemper informando occupata, nec unquam otioſa, ſi materiam prætericris, in quo demum informandi vires exereret? Formatum à forma diverſum exiſtit: & aliquid ſubeſſe neceſſe eſt, quod formetur; id autem niſi materia ſit, quo voces nomine profectò aliud nullum reperies. Neque certè minus mihi probabile videtur (neque credo Scribonio accuratiùs & attentiùs conſideranti materiam ſine forma, & rem naturalem materiatam tantùm) quàm formam ſine materia conſiſtere.

5 *Proprietate*] Definis formatam tantùm (quam nos nullam eſſe aſſeruimus) ex formæ proprietate: at niſi proprietas illa eſſentiæ rationem obtineat, nihil accuratè definiet: eſſentia autem ſi ſit, forma erit, & formam ipſam formabit: quod abſurdum eſt. & cùm doces formatam eſſe, aliquid immis ſubeſſe, quod formę ſubiecti rationem habeat: id verò materia eſt. *Corpore.*] Neque magis illud placet, quod hîc formatam tantùm corpori prędite opponis, cùm in diuiſione materiatę oppoſueris. Rei materia, à corpore longe eſt diuerſa: nam & mentibus diuinis materia quędam ineſt ſua, atque diuina, nec corpus vllum: materię autem vacuę,

quî formam obtinerent, quæ nuſquam conſiſteret? huius namque baſis materia eſt: nec aliud quid.

6 *Mentes*] Aliud mens, aliud ſpiritus: mens omnis diuina; ſpiritus aliqui corporei; cuiuſmodi ſunt in corpore facultatum vehiculum, & animæ inſtrumentum primum; quod ex nutrimentis & ortum & incrementum ſumit.

7 *Eſſentiæ*] Potius Naturas dixiſſes. Nam eſſentia altius quiddam eſt, & Naturæ cauſas comprehendit, Materiam & formam. Natura autem eſt ex materia & forma quid ortum ac natum, verum atque proprium Phyſicæ ſcientiæ ſubiectum. *Rationales*] Solus homo in naturis rationalis eſt: illa Deo & mentibus quæ ineſt intelligendi virtus, ratione longe ſublimior: niſi æquiuocè ratio ſumatur. Quod veluti ſcopulos, ac ſirtes fugere debet artis conditor, & magiſter. Quod Deo, Dæmonijs, & hominum mentibus commune facis rationis, (Scriboni) cùm diverſum generibus ſit, diſtinguendum primùm fuiſſet: tum ſingulis proprium adſcribendum, ſapientiæ lege. Rationis autem vox, illam quæ Deo ineſt ſapientiæ infinitam vim, capere non poteſt: neque Dæmonijs cum hominibus communem Naturam interpretabitur: cùm Natura diſtincta ſint ſingula: neq; in idem genus coaleſcant: Nam & Deus infinitus eſt (finiti autem ad infinitum nulla ratio eſt) & quæ hominum forma eſt, rationis virtus (perturbata atque repugnante rerum Natura) Angelorum atque Dæmonum, reliquam Naturæ partem (te authore) complebit. quo nihil pugnantius, aut magis Phyſicæ rerum œconomiæ exiſtit alienum.

8 *Facultas*]

8 *Facultas*] Dixeras ſuprà facultates eſſe quaſlibet qualitates : quod ſi ita ſit, videris quo pacto, qualitates à forma diſtinxeris : cùm ratio hominis forma exiſtit : & ſi animæ potiùs humanæ eſſe vis, formam cum qualitate permiſcebis & confundes : neque quæ naturæ lege diverſa ſunt, phyſicis præceptis diſcreta dabis, legis iuſtitiæ reus. quòd autem rationem ex poſteriore intelligentia ac voluntate definias : methodi limites prætergrederis : nec ordine doces . Illa namque intelligentiæ & voluntatis moderatio, vno verbo cõprehendẽda eſſet, quo propriè vis illa rationis exprimeretur.

9 *Functio*] Priùs tradideras facultates qualitates eſſe : hîc intelligentiam functionem eſſe doces. at verò aliud functio, aliud qualitas eſt. Colores qualitates ſunt, vt & frigiditates, & calores ; nec tamen functio harum aliqua, cuius omnis ratio in explendo aliquo naturæ munere conſiſtit, actiuam vim vegetam, atque vitalem obtinens. *Omnia*] Neq; (quemadmodum tu ſtatuis) intelligentia omnia comprehendere, aut cognoſcere poteſt, niſi de Deo ipſo intelligi velis. Sunt namque humanæ intelligentiæ limites, qui non vniuerſitate, ſed captu ſuo, ac modulo terminantur. At verò tu intelligentiam hanc & Dei, & angelorum, & hominum facis communem : quæ tamen in ſingulis alia atque alia exiſtit.

10 *Voluntas* (ais) *omnia* liberrimè eligit, hanc æquè latè atque intelligentiam fundens : cùm tamen neque omnia quæ intelligimus, aut eligamus, aut velimus. Intelligentia amborum eſt: electio, & proinde voluntas, alterutrius tantùm. Quædam ſunt quæ fugimus, ac nolumus: quæ tamen nihilo ſecius mente comprehendimus. Contraria ex Logicæ præcep-

tis, peræquè nota ſunt intelligenti; vt cui lux nota, eidem & tenebrę: cui pax, eidem & bellum. Quorum tamen omnium haud electio eſt, ſed horum perſecutio, & illecebra; illorum contrà horror, & fuga. Superfluè [*Liberrimè*] voluntati adjungis: cum niſi libera ſit, omnino voluntas ſit nulla, ſed reluctantis potiùs coactio voluntatis.

11 *Spiritus*] Ratione tanquam omnium ſpirituum communi affectione explicata, ſpirituum varietatem perſequeris, alium infinitum, alium finitum eſſe ſtatuens: in qua partitione, primùm ſubarduum videtur, quod infinitum cùm finito ſocium diviſionis membrum coniungis: quæ in nullo conuenientiam obtineant. Nam quòd Deus ſpiritus dicitur, ad captum tantùm noſtrum talis perhibetur, vt de eo ſublimius quid, quàm quod ſenſibus capimus, ſapere diſcamus; non quòd ſpiritus nomen Dei eſſentiam aut naturam interpretetur. Neque (qui cauſam alterum cum effecto membrum diuiſionis annectis) mihi videris ſatis diuiſionis naturam attendiſſe, quòd generis naturam æquabiliter participare nequeant, id quod ſpecies eiuſdem nunquam æqui boni ferant, quin de iniuria conquerantur. *Infinitus*] Quòd auté primùm de infinito negato agas, quàm de finito affirmato, id quod natura priùs eſt, euerſo ordine poſtponis. Nam antequam negatum ſit, affirmatum priùs extitiſſe natura oportuit, cui pugnaret. Quòd autem natura priùs eſt, (cùm hæc illius exemplar ſit) id & priùs arte proponi debet.

12 *Infiniti*] Spiritus exemplum Deum proponis. At vide ſis (Scriboni) ne prætergreſſis Phyſices limitibus theologiam invadas: cujus videtur omnis quæ de Deo inſtituitur doctrina. Neq; theologiam

Phyſices

Phyſices partem aliquam ſtatues (credo) reveritus theologorum ſacroſanctum chorum,qui nunquã vel prece vel præmio in Phyſicorum cõcedent familiã. Quibus porrò impietatis vix te purgabis, qui Deum naturæ conditorem,rem naturalẽ teneas:cui & formam attribuere(cùm infinita maieſtate ſit) non potes. Forma autem ipſe non eſt, cùm nihil ſit, quod tantam immenſitatẽ capere queat, qua informetur.

13 *Deus*]Explicata Dei natura,perſonã,tanquam affectionẽ Deitatis propriam,annectis:certè ex methodi præcepto, modò lex veritatis & iuſtitiæ id ferãt:ſed(Scriboni) perſonæ affectio in Deo nulla eſt: cùm teipſo authore, hæ facultates ſint, & qualitates. Perſona autẽ nec qualitas eſt, nec facultas, ſed hypoſtaſis: & proinde,vel teipſo diſputante,affectio nulla. Sed eſto. Sit ſanè affectio. Minimè tamen in Phyſicis explicanda eſt.Illud namque trinitatis myſterium, ex nulla naturæ parte elicitur, ſed tantùm ſacrarum literarum oraculis docetur. Nam vtcunq; gentium diuiniores philoſophi, extremis labris arcanum hoc guſtauiſſe videantur: vt Plato, & alij ex conſortio tamen Ægyptiorum,& Chaldæorum, qui ex Iudæorum vicinitate tanti myſterij aliquid ſubolfacere potuerunt, hauſerunt potiùs, quàm ex naturæ fabrica apprehenderunt. Ecquid namque Dei operum, vel cœlo vel terra trinitatis myſterium referet? Neq; hoc omne eſt quòd hac in re reprehendo. Proponis enim perobſcurè, & potiùs inde diuiſionem quãdam Deitatis, inſtituis, quam paulò antè indiuiſibilem dixeras, quàm affectionem doces. Vel ſaltem quod ſemel perſonæ nomine præceptum oportuit, tautologicè & ſæpius, tum patre, tum hypoſtaſi à patre explicas.Quid,quòd phraſis admodũ

dura

dura ſit: Deus eſt pater: Deus eſt hypoſtaſis à patre: & axioma vix legem veritatis ſuſtinens? Etenim cùm perſona ſit hypoſtaſis in Deo, quî Deus perſona eſſe poterit? Melius (mea ſententia) nec ita peregrino ſermone, aut atheologo, Pater eſt Deus, &c. Sed diſputationem hanc (quorum propriam dico) theologis relinquo: qui nunquam tibi conceſſuri ſunt Deo qualitates ineſſe, quas tamen initio Naturarum omnium facis communes.

14 *Creatrix*] Patris perſonæ omnium creationem attribuis, quæ tamen reliquis perſonis eſt communis: Pater omnia condidit per filium, & Dei Spiritus incubuit aquis: neque propriè creatio perſonæ eſt, ſed Deitatis.

15 *Exiſtens*] Non tantùm Spiritus (deficiunt verba tãtis miſteriis) à patre, ſed à patre & filio manat: proinde exiſtentia hæc binominos abs te proponitur, quæ prius fuiſſet diſtinguẽda homonymica, tum propriè applicanda diſtincta interpretatio. Sed vereor ne Phyſici ſacra hæc pollutis & profanis manibus tractemus: theologorum eſto omnis huius & doctrina, & diſceptatio. Atque hactènus Scribonius de ſpiritu infinito.

16 *Imaginem*] Quo verbi diuini teſtimonio ita finitos definias non intelligo. Imaginem hanc diſertè ſcripturæ homini attribuunt, creaturarum præterea nulli: idq; toti homini, non tantùm menti humanæ: quanquam menti altiùs impreſſam imaginem inſidiſſe liquido conſtet, huius tamen particeps fuit vniuerſa hominis Natura. Nam ſint ſanè (ſicuti ſunt) angeli, atq; adeo Dæmones creationis Lege, Naturâ hominibus diuiniores. Cùm tamen Deus ipſe naturæ architectus, de homine tantùm

teſtatus

teſtatus ſit, hunc imaginem ſuam referre, temerè aliò tranſfertur.

17 *Prædıti*]Quòd omnibus Dæmonijs hominum actiones diligentiſſimè obſeruare attribuas, difficilè admodum verbi authoritate probaueris; quandoquidem id muneris certorum tantùm ſit, idq; à Deo in id opus Legatorum. niſi diabolorum eſſe videatur proprium, (etiam vel optimarum actionum calumniatorum) hominum actiones curiosè obſeruare, & apud Deum, & homines, falſis calumnijs traducere.

18 *Vel boni*] Ex bono & malo diſtributionem dæmonum inſtituis. At (Scriboni) numnam Spiritus ij, quos docueras priùs ad imaginem Dei creatos, malos ſtatueris? Vel etiam Cacodæmonas æterni ignis Gehennæ materiam, Dei imaginem referre affirmaueris? Definieras ex Natura: Diuidis non naturali differentia, aut proprietate, ſed accidentario lapſu. Et iſta ex malo ac bono, diſtinctio, neſcio quid ethicum, & poſteriùs ſapit, potiùs quàm phyſicum. Neque ſanè (id quod tu affirmas) boni angeli tantùm beneficentiæ diſpenſatores ſunt, ſed & interdum vindictæ adminiſtri.

19.20 *Rebelles*] Inſtitueras (Scriboni) doctrinam phyſicã, & initio receperas te rerum Naturã interpretaturum. Atqui verò, Naturâ & creationis Lege, diaboli Deo rebelles non ſunt, ſed optimi (vt omnis Dei creatio) ſed ex cõtracto vitio rebelles facti ſunt, mali & creatori immorigeri. Omnis itaq; diſtinctio eiuſmodi boni & mali, eſt phyſicis alienum, & propterea hîc expungendũ, & in theologiam potiús conferendum.

21 *Cogantur*] Diaboli Dei tantùm nutum ſequuntur: cæterum nulli vel angelorum ſubditi, multò minùs

nùs miſeris mortalibus, qui eadem calamitate meritò ſuo inuoluuntur. Ergo cogi nequeunt, ſed coactos ſimulant, & fingunt: quò magis incautos, ac Deo infidos irretiant.

Tantùm de Geniis: ſequitur de Anima.

22 *ANimus hominis eſt creatura ſpiritualis corporibus hominum informandis à Deo inſpirata.*

23 *Spiritus enim hic corporis humani conſociationẽ perpetuò amplectitur, indeque ſuam differentiam nanciſcitur.*

24 *Vnde etiam pro varia organorum huius corporis conſtitutione variè afficitur.*

25 *Animi hominum vt intellectus, ita voluntas quoque poſt lapſum primorum parentum multùm deprauata eſt: vt tenebris obductus & quaſi coactus animus peſſima quæque ſolummodò eligat & approbet.*

26 *Intelligentis eius facultatis diſcurſus fit tum inuentione, tum iudicio.*

27 *Inuentio eſt rerum omnium cognoſcendarum excogitatio. Iudicium eſt inuentorum plenior examinatio atque diſcretio.*

Iudicium animæ vel ſimplex eſt, vel compoſitum.

28 *Simplex eſt quo res ipſas vel rerum affectiones ſimpliciter perpendimus. Vbi ſpectatur potiſſimum rerum veritas vel falſitas.*

29 *Vtriuſque autem illius ſi contingens ſit iudicium, opinio, hoc eſt, incerta notitia: ſi neceſſarium, ſcientia, id eſt, certa & conſtans cognitio oritur.*

30 *Compoſitum iudicium, quod etiam collectum dicitur, eſt quo res alias ex alijs ſimul componendo colligimus.*

Iudicantur hoc modo tum dubia inprimis quæ videntur: tum axiomata varia ſimul collecta.

31 *Rerum dubiarum iudicium peperit ſyllogiſmũ: axiomatum*

matum variorum ex alijs deductio, ordinatam dispositionem.

22 *Spiritualis*] Spiritum potiùs animi genus dixisses, quàm creaturam spiritualem (aliud namque spiritus, aliud inde denominatũ spirituale: ut ab homine humanum, à diuo diuinũ: alterum ab altero diductum) & cõstantiùs genus proximum & suum retinuisses. Quod enim spirituale tãtùm est, vt & corporeum, nec corpus, nec spiritus est, sed quiddam alterutrum referẽs, vel similitudine, vel participatione naturæ. *Informandis*] Non anima corpus informat, sed hominem. Homo autem & corpus & animam complectitur; ex quibus, tanquam ex causis essentiæ oritur. Neq; forma materiæ forma est, quanquam huic substrata sit, sed naturę ex vtraque natæ: quemadmodum materia non formę materia est, sed materiatæ naturæ, ea verò forma nequit esse, cùm vtriusuis natura, non in sese mutuò, sed in aliud tertium conferatur. Expirata namque anima humana, corpori constat forma sua, cùm tamen hominis forma decesserit, anima ratione prædita. Quòd verò priùs animam humanam memoras, quàm de homine docueris, mirificã Physicæ interpretationem continet, parùm certè methodicam. Nam homo quàm anima humana prior est, & natura, & doctrinæ lumine. Ideoque priùs definiendus, tùm essentiæ causis explicandus. Siquidem qui mihi nauis susceperit fabricam & naturam omnem docere: ei necessum est priùs quid ipsa nauis sit explicare.

De Traduce.

Inspirata] Primùm inspirata fuit, deinde ex propagationis natura à parẽtibus in gnatos continuo speciei incremẽto traducta. Ita ne (ais) animæ humanæ planè

planè diuinæ,& immortali brutis animantibus nihi-lo ſublimiorem ortum ſtatuis? Minimè verò Scriboni. Ergo quemadmodum animam ſalua immortalitate traduci,prout probabiliter credam cum multis, nõ ſolùm eruditiſſimis philoſophis, ſed etiam theologis grauiſſimis(quamuis de re tanta,præſertim ad theologorum ſcientiam ſpectante, nihil audeo ſtatuere aut definire) accipe paucis. Creauerat Deus initio ex terra & aqua vniuerſum ſtirpium & animantium genus: horum naturam ex his principijs de nihilo conditis,vitæ varijs facultatibus inſtruxit: non corpus,non truncum, & caulem, ſed pariter vegetantem animam, eamq́ue brutorum animalium ſenſu, motuq́ue voluntario præditam: denique vniuerſam horum naturam terram & aquas iuſſit producere: quæ continuò creatoris voci obtemperantes, infinitam harum varietatem Domini futuri neceſſitatibus ediderunt. His ergo, & cætero mundi apparatu, in ordinem digeſtis, reliquarum naturarum Dominum ſanctius his animal, ex terræ puluere finxit,& ſpiritu ſuo hominem animauit Deus. Ergo quod brutis ac ſtirpibus cum homine fuit commune, ex terræ puluere ortum habet,nec altiùs peti debet:hæc corporis parens,neque huius tantùm,ſed vitæ,ſenſus,motus,&,præterquam rationis ac mentis divinæ,omnium facultatũ origo; terra(inquam) harum naturarum ſeminibus fœcunda. Hæc igitur fabrica,tanquam hominis materia fuit,reliquis omnibus creatis pulchriore ſpecie, & dignitate cæteris prꝫſtanti ornata, quia Deum ipſum habuit archiplaſtem. Forma autem humana, non cœleſtis naturꝫ,non aſtralis,nec neſcio quod angelorum(ut nonnulli delirârunt)opificium eſt, ſed planè diuina, & à Deo

ipſo vis quædam prognata:vis (inquam) non (quæ creaturis nec communicari,nec diſtrahi poteſt)ipſa deitatis natura. Ex quo è viuis excedente homine, corpus in terram redit,vnde prodierat; anima diuinum ortum & natura ſua, & creationis lege repetit, omninoque manet immortalis. Atque ita primi hominis ortus habet. Vbi autem Deus orbem inferiorem hunc cunctis creaturarum ordinibus complcuerat, vnamquamq; fœtificare, & generis propagatione, ipſius cœli perennitatem emulari voluit,& vniuerſæ naturæ ſemen ſingulis indidit, ex quo noua rerum progenies indies naſceretur : vt quod initio creatione obtinuerat mundus, impoſterum generationis ſerie perpetuò retineret. Huius ergo verbi virtute, hodie perſtat mundi ingens machina : cui prouidentia incũbens Deus, tuetur ſemel conditum opus,neque id creando, (dies namq; ſextus vltimus creationis erat) ſed ſapientia adminiſtrando, bonitate cõſeruando,iuſtitia moderando,nũquam non ad opus aſſidet. Itaq; hominis natura eandem cùm reliquis benedictionis virtutem experta,nouos continenter humanos fœtus ædit : non corpora tanquam de rufo puluere, ſed omnino integrã ſpeciem, alium ortus autorem quàm corpus obtinẽtem. Atq; hæc de animæ traduce ſententia cur mihi præſtantiſſimis & philoſophis & theologis maxima probabilitate niti videtur,deinceps explicabo.Propagatio eſt eiuſdẽ ſpeciei ex ſemine multiplicatio.Ita namq; ſtatuit Deus; fœtificate, & augeſcite; primo Geneſeos. At verò ex illa benedictione omnibus cõmuni homines propagantur:ergo tota ſpecies humana de parẽtibus in liberos traducitur,non corpora tantùm multiplicando, ſed genus ipſum, cui propagatio à

Deo ipso indicitur. Non enim de corporibus propagandis pronuntiat Deus, sed de singularũ rerum natura; quod in aliis creaturis facilè dabit vnusquisq;: neque cur hominibus negetur, ratio probabilis reddi potest. Quinto Geneseos Adamus dicitur genuisse filium in imagine sua, id est, peccato inquinata: ergo totius naturæ parens erat, non corporis tantùm. Eius namq; partis humanæ naturæ author erat, cui Dei imago insederat priùs integra sapientia & iustitia. Ea autem pars anima fuit, & propterea mentis æquè atque corporis parens erat. Propositio ex obliterata iam imagine confirmatur. Nam eiusdé partis parẽs fuit, quæ fœdata iam peccato est & impietate, & à diabolo inflicti vulneris cicatricem ostẽdit: ea autem anima erat. Propterea nõ solum corporis sed & animi parens statuendus. Propositio ex verbi testimonio probatur. Genuit filium in imagine sua: imaginem hanc quid referebat? Corpus, ais, tãtùm? Atque idem quod illam Dei retulerat, necesse est & hanc referre. Subiectum namq; vtriusque imaginis idẽ erat; cùm substantiæ humanæ ex lapsu nihil perierit: id verò anima fuit, vel magis propriè ex animo, & corpore constans humana natura: ergo Schethi anima patrem Adamum genitorem habuit, cùm imaginem hanc à parente genitam cõfirment sacrę scripturæ. Nam, si existimemus imaginem sine subiecto genitam, esset hoc absurdum, cùm nullibi consisteret. Quod verò de corporis peccato obnoxij similitudine contenderit quispiã, nec admodum firmum est, nec vllius grauioris argumenti vim obtinere videtur: qui namq; corpus peccati sedem, & animam inde labem cõtrahere putant, meminerint originis peccatum in totam naturam à prima parẽtum præuarica-

paricatione disseminatum esse instigāte diabolo; nec nouum huius ortum aliunde à corpore deriuandum & partem tātùm imaginis ab Adamo genitam, videlicet quod ad corporis impuritatem attinet. Sed horum sententiam postea diligentiùs excutiemus. Pergimus nos nostram corroborare. Cōmisso in Deum superbiæ ac diffidentiæ scelere, continuò (serpenti inflicta pœna) ex semine suo serpentis caput contrituro Euam cōsolatur Deus. corpus autem per se pars rationis expers quid ad serpētem conterendū? Nam conterendus abs tota natura. Neq; Christus corpus tantùm humanum assumpsit, sed omnino humanam naturam. Anima verò Christi nisi à matre fluxerit, nulla foret pars seminis humani, semen autē in sese continet propagandum vnumquodque: ergo semen metonymicè sumptū, vt Genesis loco, pro fructu ex eodem edito, quo posteà in Christo exoluit, quod antè de diabolo conterēdo promiserat Deus, est integra humana natura, à matre Eua diducta: quod ex calcaneo seminis cōtrito manifestè apparet. Neque enim Christus tantùm in corpore serpētis aculeum sensit, sed animam item afflictam habuit, eademque proinde atque corpore, Dei vindicem manum sustinuit: ex quibus concludo pariter cùm corpore à parentibus manare, & totum semen cōplere. Quid ergo? Tot animis præditum hominē dicimus, quot liberos genuerit? Nequaquā, vt nec corpus tergeminum, cui tres obtigerint liberi: sed vt corporis à Deo vis prolifica infusa, speciem corporibus auget ex semine, quod nec corpus humanū est, nec huius membrum aliquod, ita & anima facultatē ex benedictionis diuinę virtute natam habet, qua recentis & nouę iam animæ continet originem, non anima ipsa, nec

huius pars, sed vis quædã diuina substantia cõstans, animæ futuræ exordium, ex qua cum illa fœtificante virtute coeunte, integrum cõplectitur semen humanum: quòd vtero fotum, & diuina fœcũditatis benedictione refertum, fit tandem magnus mundi hæres homo: altera parte cõstans mortali & caduca, altera à Deo initio infusa, anima immortali. Post primi hominis lapsum, anima parem cum corpore labé sensit neq; hanc ex corpore, sed ab ipsis parentibus cõtractã: ergo æquè atq; corpus ab ipsis est. Pari lapsu defecit à Deo bonitatis authore, & ideo parem labem contraxit. Inde namq; mortalibus mali fons, & culpæ, & ex iusto Dei iudicio pœnæ. Si cui hoc tantùm de Adami anima verum videtur, neq; ad eius posteros longiùs extendẽdum, cur de corpore verum dabunt, quod falso animo attribui volunt? Videlicet quia corpus, de corpore traducitur, & inde peccato imbutũ mali fit scaturigo: anima (dum corporis cõmercio coinquinatur) pura & libera, aliunde, & foris nata. At vt Adami peccatũ ad seipsum habuit, & totum peruasit, tam vitio, quàm vindicta; ita originale peccatum ad nepotes: sed illud pariter totum ipsum occupauit, propterea hoc animam pariter atq; corpus posterorum Adami: & vt eius anima nil didicit à corpore; ita nec nostra originale peccatum haurit à corpore, sed ab ipso mali fonte Adami deprauata natura. Ex his colligo, animorum nostrorũ corruptionem parentibus ferẽdam acceptam: & si corruptio, anima ipsa: cùm labes ipsa sit ingenita, non arte, & imitatione adepta. Hinc Dauid Psalm. 51. peccatum ab ipso materno vtero accersit. En (inquit) in iniquitate formatus sum, & in peccato fouit me mater mea: atque nisi sedes iniquitatis, eaque præcipua

pua anima in vtero formaretur, qui rectè, & verè, ita de se quereretur Dauid? Eum verò de totius naturæ prima labe conquestum, extra controuersiam est. Et nisi tenemus Adamum partem tantùm nostræ naturæ, corpus complexum esse, non vniuersum genus (quod absque maximo errore non possumus) cōcedendum necessariò, animi parentem fuisse, cui (vt & sibi primò) gratiam amisit, & gratiæ dona. Atque hæc huius nostræ sententia fundamenta sunt: reliquum huius disputationis in nonnullis aduersæ sententiæ argumentis diluendis consumetur. Ea sunt duorum generum: primum continet certorum argumentorum partium nostrarum in speciem confutationem: reliquum ex re ipsa ad nostra expugnanda, & sua confirmanda eliciuntur. Ergo quemadmodum aliis quibusdam nostrarumpartium argumentis satisfaciant attendamus. Obiiciunt traducis animæ patroni Deum Euam ex Adami costa fabrcâsse, nec aliunde inspirâsse animam, quando id silent scripturæ: ergo non omnis anima cœlitus immittitur, sed aliqua saltem ex homine oritur: quod namque seminis futuri esset propagationis benedictione, id Adami costa Deo conditore suppleuit: neque dicitur Deus Euæ corpus, sed ipsammet ex costa finxisse. Ergo totam Euam, non partem traduxit: multò magis ex semine verbi vi fœcundante tota proles de parentum natura traducetur. Sed (aiunt) costam tantùm sumpsit, nil igitur istud ad animam. Sanè verò: at eam spiritu vitali imbutam, & hominis partem anima refertam: non ergo tantùm corporis materiam (vt terræ puluis) sed totius Euæ personæ: ex quo ab ipso marito virago dicitur, quia de viro sumpta,
 vel

vel meliùs hebraicè *Ishab*. Deus die septimo cessauit à mundi fabrica, vt quẽ omnibus numeris ac partibus absolutum dederit sex dierum opere: ergo de nouo nihil eorum condit quæ prius creauerat: neq; igitur animã: ex quo sequitur vel initio omnes omnium hominũ animas simul creasse, (quod non concedent) vel à primo homine esse. Neque propterea nos otiosum Deum statuimus: nam conditum mundũ administrare, prouidentia præesse, potentia cuncta fouere, Dei perpetua sunt opera. Sed reponunt certas quasdam naturas ex putredine, & cœno natas indicare Deum non dum à rebus creãdis feriari. Quibus respondemus Dei creaturas ita distinguendas, vt aliæ ordinariæ sint; & speciem in rerum natura obtineant; aliæ monstra, & errores potiùs, vel naturæ anomala quædam habẽda. Et ex ordinariis, alias in aliis creatis naturis sedem & locum obtinere, nec aliter per se cõsistere, ut culicum, muscarum, & pulicum genus, & eiusmodi quàm plurima; quæ etsi probabile est nondum initio creata, latuere tamen potẽtia in aliis maioribus, & dignioribus creaturis: nisi malumus potiùs à generis humani lapsu ex corruptione inualuisse, & iræ diuinæ superesse testimonia. Ex hisce ergo animalculis & quisquiliis petitum argumentũ, rebus creandis, septimi diei quietem nil interturbat: quò minùs Deus sex diebus vniuersum mundum absolueritः nisi non dum tineis, pediculis, & erucis creatis, aliorum excrementis, vel ab excrementis ortis, opus deficere arbitremur: in quibus ipsis tamen noui fœtus genus tuentibus, propagationis vis manifestè ostẽditur. Sed quid hæc ad perfectas naturas, mundi partes, ex chao initio distinctas, quas omnes initio absoluerat Deus, & omnino

nino creãdo cessauit opere, ex quarum genere præcipua pars mẽs, origine diuina, caput operis existit? At aiunt, quòd homo ex homine prodit satis confirmat fœcunditatis benedictio in natura humana. Nos autem id satis esse pernegamus, & aliud multiplicari, & prodire, aliud fœtum prodire contendimus: nisi enim anima inde ducat ortum, non homo, sed corpus prodit tantùm, neque hic de loci ortu, sed de naturę origine quæstio habetur: homo autem nisi totus traducatur, ab humana natura nequaquã prodit, sed huius ignobilius membrum caducum corpus, reliqua anima tanquam de cauea producta. Quòd autem obtẽdunt Mariam Deiparam verè dici, cum tamẽ diuinitatem haud pepererit, & pari ratione genus de parẽtibus esse, cum corporũ tantùm sint authores, alienum omnino est: cum hic non quid tropo verè dicatur controuersia sit: sed quid rei natura patitur, laboramus: nam re vera, & propriè, tãtum peperit, quod genuerat, hominem; hominem tamen ad vnam mediatoris personam constituendam, Deitati sociatam.

Venio ad grauissimum partium nostrarum argumentum, peccatum originis: quod quemadmodum vniuersam naturam peruadat, & illam Dei imaginẽ in anima humana obliterauit, nisi posito animæ traduce, intelligi nõ potest. Conditur pura, & valde bona, vtpote à Deo profecta bonitatis autore: corpori immittitur impuro, & pecato obnoxio; hinc labe cõtracta, coinquinatur, & rea plectitur: atq; ita in Adami posteros disseminatum malum interpretãtur, & nondum expediunt aduersum nos sentiẽtes. Qua profectò interpretatione, nunquam Deum peccati immunem liberabunt, quin aliquid vitij, (quod im-

pium, ac flagitiosum cogitare)in ipsum cedat animi authoré. Nam vt creauerit purum,cur tamé immittit inquinandum?Quia voluit:ais.At iusta ratio semper voluntatis diuinæ constat: & vt omnia ex consilij sui decreto faciat Deus,vindictæ tamen eius semper intercedit iustum peccatoris meritum,vt nil habeat quod aduersus eum responset. Hîc verò anima ipsa,natura pura, nec sponte corporis appetens, sed necessitate immissa, nil habet in quod Deus iustè iram exerceat. Et quo demum modo ipsa pura à corpore inquinaretur? Istis authoribus,primo mométo deprauatur, corpori videlicet (vt Adamus Euæ) auscultando.At verò id non est peccatum originis actu aliquid contra Dei voluntatem designare, sed ingenitus peccãdi habitus,& tãquam peccati radix: quæ quemadmodũ in corpore defixa in animum pullulet purum,& sincerũ sine aliqua ad peccandũ illecebra, difficile admodũ est cogitare: id autem si fecerit, ex opere,non ex prima cõtagione Dei iudicio fit obnoxia:nam quid ad animã puram, & Dei imaginé referenté,corporis impuritas? Et quamnum demũ contraxerit vel ipsum corpus peccati labem,non dum anima rationali prȩditũ?Non brutis animantibus statuit legem Deus, sed homini: hominis autem pars corporea, ex terra initio desumpta, nihil admodum continet nobilius brutis animantibus. Ergo peccatum in corpore per se residere non potest,sed quatenus cum anima communionem habet: quæ & ipsa primo peccato corrupta, corpus contaminauit, & peccati reum fecit, corpus,inquam, non per se spectatum,sed alteram naturæ humanæ partem constituens.Peccatum enim originis propriè nec corporis nec animæ est, sed (cui legem sanciuit Deus) hominis:

nis: nam vt ſit corpus quouis cœno impurius, nihil ad fœditatem hanc: quę peccati tantùm eſt, non alicujus prætere turpitudinis. Ex his ſequitur, vel Deum, quòd animam puram in corpus, tanquam in vas peccato impurum immiſerit, mali autorem eſſe, vel labem ex parentis anima ingenitam. Primum eſt blaſphemum, alterum inde confirmatur, quod non à ſe pura, nec à corpore; à corpore non concipit, quia originale peccatum non eſt malum aliunde cõtractum, ſed ingenitum: & probabile eſt primo corporis amplexu animam hoc regere, & incipere negotium adminiſtrare, neque ab ipſo diſcere, ſed ſibi ingenitas vires explicare, & eo tanquam inſtrumento vti. Inſtrumentum autem ſi prauum ſit, quid id ad artificis peritiam? non ipſius, ſed inſtrumenti vitium eſt, quod in opere delinquitur. Ergo non ex corporis contagione anima primùm inficitur, ſed ab Adamo vnâ cũ anima & corpore, crimen traducitur, & inde totũ genus, tanquã lepra de parente in prolẽ peruadens, cõtaminatur. Ita Dei iuſtitia peccatorib. puniendis ſtat inviolata, & crimẽ in hominẽ ipſum recũbit, ſui ipſius mali fabrũ; Contrà vero ex anima cœlitus infuſa, nec origo mali ipſe foret, nec iuſtè Deus pœnã infligeret. Sed (aiũt) Adamus ſibi & ſuis ſe peccato obnoxium reddidit. Certè, at non ipſius Adami peccato. Nã illud ſibi habuit proprium, neq; generi cõmunicauit, cùm ſemel tantũ fieri potuerit; ſed illo, peccato contaminato, tanquam infecta radice, in poſteros & ramos ſerpſit mali contagio, qua rei tenẽtur Adami nepotes: non quòd illius peccati dent pœnas, quod omnino ſalva Dei iuſtitia fieri non potuit, cùm huius delictum in ipſius tantum perſona conſtiterit: neque Adami lapſus originis peccatum

eſt

est sed generis tantum labes, à qua reliquorum scelerum scaturigo: non actio inquam aliqua, sed ad actiones sceleratas patrandas tanquam quędam dispositio. Hactenus ergo (credo) solenne illud originalis peccati argumentum stat integrum. Sequuntur rationes quibus aduersa pars, animam θύραθεν immitti contendunt: quibus vbi satisfecero, huic disputationi finem imponam. Vel pars (aiunt) traducitur, vel anima tota: si pars, simplicissimam substantiam secueris: sin totum, perierit qui genuerit: si qualitas traducitur tantùm non substantia, accidens erit anima, & corpore tanquam subiecto intereunte, vna peribit. Atque ita traducis animi causam adoriuntur. Quibus respondemus; nec totum, nec partem animi parentum, traduci: neque accidens aliquod animi rudimentum esse. Quid ergo? Sanè substantiam quandam ab anima natam, nec totam ipsam nec partem, tanquam animæ immortale semen, prolis animæ futuræ principium: & vt semen corporeum de parentum corporibus decisum, nec corpus ipsum, nec corporis membrum aliquod existit: ita anima, semine animæ fæcundo non anima, nec animæ parte aliqua in prolem traducitur. Vnde istud requiris? ex fæcunditatis inquam benedictione profectum. Hęc fons sæculi futuri, & procreationis origo. Ergo tenemus animam non integram & absolutam, parentibus referendam acceptam, sed seminale quid, ab anima, ęquè atque à corpore exclusum, & tandem illius verbi virtute in animam rationalem, & immortalem, proditurum. Atque ita huic argumento respondemus: ex quo etiam apparet, nil causam lædere, quod dicant absurdum ex vtroque parente prolis animam tanquam ferrumniari:

rumniari : Non enim dicimus amborum animas coalescere, sed ex paterno, maternoque semine mistis, integrum humanum semen tam animi, quàm corporis, adeoque totum hominem, tandem oriri: nec magis hanc, quàm corpus ex parentum corporibus ferrumniari. Neque ita animæ immortalitas tollitur, sed æque atque si ex Dei sinu prodiret, confirmatur. Oritur enim ex immortali semine, non ex terra, vt mortale corpus; sed ex Dei ipsius Spiritu prognascitur: ideóque immortalis : & corpore in puluerem soluto ex quo concreuerat, anima in eundem ex quo prodierat sinum redit: & ęternitate fruens, interitu prorsus eximitur.

Quod aiunt, probabile non esse Deum qui hominem ex aspirato spiritu animauerat, & cunctis creaturis reliquis prę fecerat, eadem qua cętera animantia ratione, hunc multiplicare, optima ratione constare contendimus. Nam nihil hominis pręstantiam id imminuit, quod vt cætera in sese totius naturæ semen contineat; quin potius quod Deus tam nobili atque diuina seminali parte hominem beauerit, longè supra cætera animantia auget hominis dignitatem. Et nullo refragante verbi diuini testimonio, cur vt plantæ seminè vegetante, & bruta animantia motu voluntario, & sensu à stirpe prædita sunt, ita hominem totam naturam à parentibus haurire vereremur affirmare? nam vbique procreationis par ratio est. Sed missis humanis, & philosophicis rationibus, verbi diuini autoritatem obtendunt, quæ cuiusmodi sit, quamque nos vrgeat diligenter attendamus. Ait Ecclesiastes Capit. 12. vers. 9. Redeunte ipso puluere in terram quemadmodum fuerat,

rat, ſpiritu autem redeunte ad Deum qui dederat illum. Ex his Eccleſiaſtis verbis animam ἔξωθεν corpore ſeſe inducere eliciunt, & à Deo figuratis corporis membris (maribus 90. fœminis 30. conceptus die) foris infundi: nec omnino (vt nos aſſerimus) de parentibus in prolem ſeminari. Spiritus, inquiunt, Dei donum dicitur, antitheſi habita ad corpus, quod puluerem habuit autorem: ergo à Deo ſine parentum opera ἀμέσως infunditur. Nos argumenti vim negamus, neque quod a Deo donari perhibetur, ideo cœlitus infundi admittimus vniuſcuiuſque animulam: ſed donationem hanc ad genus humanum referimus prima hominis creatione, qua Adamo infundebatur, & ab eo toti generi fit communis: à quo tanquam lumen de lumine, in infimam prolem diffunditur. quæ ad corpus comparata potius à Deo donum habetur, quòd immortalis naturæ, & quodammodo diuinitatem referens, à Deo ipſo nulla præeunte materia ſit profecta: corpus potius terræ Donum, ex qua in animi diuerſorium fingebatur: cùm vtrunque nihilominus Dei donum ſit: tamen ut ortu diſpari admodum conſtant, ita vtriuſque diverſos exitus denotat Eccleſiaſtes: ne animam cum corpore pecudum conditione perire arbitremur. Et vt vniuerſum hominum ſtatum comprehendi Eccleſiaſtis loco confitemur, non primi hominis tantùm (ſicuti concedimus) ad primum tamen creationis ortum reſpicere, ex pulueris voce liquidò conſtat, quem metonymicè pro corpore ait in terram rediturum, quemadmodum fuerat: noſtrum autem corpus nunquam vel terra, vel puluis fuit: ſed inde originis pars & Adami corpus extructum. animam autem eius, vt corpus de puluere terræ, immediatè à

Deo

Deo exiſtere extra controuerſiam ponimus: noſtram, vt nec corpus è puluere, ita nec animam niſi à parentibus accipimus.

Quod ex 12. ad hebræos affertur, nihilo minore negotio repellitur. Deinde (inquit Apoſtolus) τοὺς μὲν τῆς σαρκὸς ἡμῶν πατέρας habuimus caſtigatores, & eos reueriti ſumus: annon multò magis ſubijciemur patri ſpirituum, & viuemus? hic (aiunt) opponitur anima corpori, & corporum patres, animorum patri Deo. Nos autem negamus τῆς σαρκὸς vocem corpus ſignificare, vt nec τῶν πνευμάτων animam: Caro namque in ſacris ſcripturis vbi ſpiritui opponitur, id denotat tantùm quod naturale eſt in homine, nec ſpiritus virtute regeneratum: frequenter item totam naturam humanam. malè ergo (mea ſententia) corpus pro carne ſubſtituunt: cùm ſcripturæ ſenſu, corpus pars altera carnis ſit, caro autem integrum naturæ ſtatum denotet: vt variis ex locis confirmari queat: niſi forte hebraiſmus ſubſit; vt Pauli 2. ad Theſſal. Ca. 1. ἐν πύρι φλόγος) pro carnali patre, & reliqua ſententiæ parte pro ſpirituali. quare enim ſpiritus animam ſignificaret? ac non potius quod ſpiritualis vitæ nobis ſit & (vel ipſemet ſpiritus) regenerationis autor, Deus. Nam non addit epiſtolæ autor πνευμάτων ἡμῶν, vt prius τῆς σαρκὸς ἡμῶν, vt nihil neceſſe ſit ſpiritus vocem ad humanas animas aſtringere, quin angelorum reſpectu pater ſpirituum dicatur. nam ſi creationis ratione hoc loco animæ humanæ patrem intelligant, tenendum eſt, non hîc doceri qualis ſit in cunctos mortales, ſed quos in Chriſto ſibi adoptauit filios. Et propterea minimè hîc naturæ paternitatem intelligi: ſed quem gratia per Chriſtum dignatus eſt nobis Deus: quibus talis pater, ad commodum

dum nostrum nos castigat, vt participes simus sanctimoniæ ipsius, non extra fœdus reprobi. Reliquus verbi locus ex 12. Zachariæ prophetæ, versu primo desumitur: Dictum Iehovæ qui extendit cœlos, & fundat terram, formatque spiritum hominis in eo. hîc (inquiunt) disertè innuit propheta animam à Deo formari. Atque nos traducis propugnatores idem asserimus. Sed præsenti tempore pronũciat propheta, ex quo ad primam animæ creationem omnis relatio excluditur. atque hîc cardo argumenti vertitur. Nos argumenti consequentiam prorsus negamus; neque ideo quia (vt aiunt) presenti tempore hanc formare dicitur, ὀυρανοθεν immiti putamus: addit enim eodem loci propheta *Bkirban*, in medio sui ipsius, quod ad illud animæ semen immortale, ex quo Deus tanquam ex substrata materia & operis subiecto animam effingat, referre non dubitamus: & in ipsa humana natura, non foris effingi ex isto loco inferimus: præsertim cùm *Iatsar* quo vtitur thema, non creare ex nihilo, sed ex aliquo, fingere & formare significet; vt hinc potius robur acquirat sententia nostra, quàm inde iacturam faciat aliquam: nisi placeat *Ruah* potiùs volũtatem interpretari, quemadmodum in nonnullis locis, vt sensus sit, Deum hominis voluntatem pro arbitrio formare & flectere, neque tantùm expanso cœlo & fundata terra infinitàm potentiam ostendere. Sed tempus (cùm huius loci vim contineat) quale memorat propheta consideremus: Vtitur nomine presentis temporis participiali: quod haud vbique temporis differentiam adsignificat, sed in nomen transiens, vt in aliis linguis, tempus interdum negligit, ut hoc loco; quod nisi facit, extendere cœlos, fundare terram

ram, ad præsens itẽ tempus referantur necesse est. ex quo sequeretur, Deum creationis opus reuoluere, & tanquam imperfectum, noua rerum fundamenta ponere, nouos cœlos, vel eosdem crebro expandere, quod omnino semel absoluisse Deum tradunt sacræ scripturæ. vnde secundo Geneseos, Itaque perfecti sunt cœli & terra & omnis exercitus eius. Loca verò scripturæ, quibus nomen participiale tempus negligat, vel saltem ex ellipsi verbi substantiui intelligendum in medio relinquat, si requirantur, in promptu sunt plurima. Regũ primo aiunt serui Dauidis, quæratur Domino meo Regi puella, virgo quæ stet coram rege & sit ei adiutrix *Sokenet* adiuuans: & verbo geneseos 27. maledicentes tibi maledixisti, id est maledictores: nam nullum temporis discrimen respicit hoc loco Deus, siue maledicunt, siue maledixerint, sed eiusmodi hominum qualitatẽ. Et Iobi quinto, versu decimo multa memorat Eliphas Dei gesta phrasi præsentis temporis, vt edere pluuiam in superficie terrę, immittere aquas in superficiem aquarum &c. quæ tum ideo præsenti tempore exequutum Deum probari non potest, cùm id non respiciat Eliphas, sed qualem Iobus Deum agnoscat sermone contendit. Ita Zachariæ loco non laborat Propheta numnam iam fundat terram, vel cœlos expandat, vel hominis spiritum præsenti tempore formet, sed vt illis Dei elogiis, qualis demum sit, cuius mandati nuncius erat Propheta, populus intelligens, sese magis facilem & morigerum dedat, quando non cum mortali homine, sed cum ipso rerum omnium conditore se rem habiturum senserit. Hæc hactenus de traduce: atque eiusmodi sunt quæ nostram de propaganda in posteros animæ sententiam satis confirmare

mare arbitramur, & quibus contra ſentientium argumenta concidere confidimus. Liberè interpoſui me nullo vel contentionis ſtudio, vel vt contrariæ ſententię fautores nomine læderem, aut, qua ſunt merito ſuo apud me & alios authoritate, comminuerem. Sunt iſta Philoſopho indigna, nedum digna homine Chriſtiano. Dabunt mihi veniam veritatis amici, quòd in Philoſophia verum ſentiam defendere, quatenus ratio dictet, & Rei Natura: quod falſum fictumque putem, argumentis reprehendere. Si quis mihi erranti comiter monſtret viam, etiam vi agat ſi opus eſt, apud me maximam gratiam inibit, & tanti beneficii impoſterum habebit memoré. Quia caput maximum Philoſophiæ continet, eò copioſiùs, fortaſſe prolixiùs problema diſputaui: ſed in cœteris ſpondeo breuitaté, cũ nec tanti mométi ſint per ſe, nec eiuſmodi, vt theologos cõturbét, quin ſalua religione & pietatis Doctrina, cũ qua omnis veræ Philoſophiæ pars conſentiri debet, admittant vltro.

23 *Differentiam*] Itane (Scriboni) animam humanam à Deo inſpiratam, ex ſociatione tantùm cum corpore nanciſci differentiam? Vide, atque etiam vide τὸ ἄτοπον, & viſum per horreſce. Videlicet omnes omnium hominum Animas corporis ergaſtulo ſolutas vnam tantùm animam eſſe: quod enim Natura ſua haud obtinet differentiam aliquam, id vnum eſt, nec diffundi nec diuidi in plura poteſt. Atque animæ corporum vinculis liberatæ (authore Scribonio) nullam differentiam niſi ex corporibus obtinét. Propterea omnium animarum tanquam homogenea moles erit, quam Deus in ſingula ſingulorum hominum corpora partiretur, non certum formarum genus ac familia, vt quam prius per ſe ſubſiſten-

tem

tem Naturam dixeras, hîc aliter huius tantùm frustum quoddam, & tanquam fragmentum asseris variè à corporibus ipsis informandum.

24 *Variè*] Materiam autem formas distinguere Naturis quàm physicè dictum sit, & physices autore dignum, diligenter ac physicè attende. Nam profecto (Scriboni) non anima variè ex corpore habet, non mens illa diuina & cœlestis ex corpore caduco & fragili afficitur, sed integra semper, & illibatis facultatibus manens, actiones tantùm ex corpore, tanquam instrumento prauo, vel corruptas vel retardatas habet, haud secus ac peritus vel Apelles in pictura, vel Phydias in statua: quorum alteri vel dolabro retuso, vel penicillo alteri aspero, vel lumine vtrique negato, facilè (nullo artificis dedecore aut probro) delinquant: ita anima vbiq; vel Phydianum, vel Apelleum & intrà & foris artificium longè superans, haud ex corporis vicinia labem contrahit, sed eodem, tãquam organo inidoneo, nec affabre facto, facultates ingenitas, & innatam artem, minus concinnè explicare potest, ipsa per se inuiolata ac integra, & diuinis facultatibus semper sociata. Ergo non corpus animam afficit, sed anima corpore, vt fracta lira peritus fidice, minùs ad vsus afficit commode, renitente & inuito incommodo instrumento.

25 *Deprauata.*] Quam hîc tradis intellectus atque voluntatis animæ humanę corruptionem, ex parentum primorũ præuaricatione, Dęmoniis cum hominibus est communis. Nam & hi pariter ac homines creationis prima ornamenta amiserunt, & intellectus tenebris obducuntur, & ad nequissima quæque feruntur voluntate. Et cùm homines à prima integritate æque defecerint, ac spiritus illi infesti Deo

ac rebelles: cur non & animas humanas bono & malo diſtinguis? fortè veritus (quod & in Dæmoniis diſtinguendis veritum oportuit) ne ethicam (lege iuſtitiæ violata) phyſicis miſceres. & quod ordine primum eſt, poſteriore diſtingueres. Totiùs Ethicæ caput euertit, quod de coacto animo ac peſſima tantùm elegente deinceps doces. Nam primum, vt Adam primus ab illo priſtino beatitatis ſtatu defecerit, coniugis Suada illectus, & illum creatoris diuinum characterem vel fædauerit, vel prorſus deleuerit, vt quod reliquum ei ſuperat, olim auguſtæ regiæ rudera potius referat, quàm extructum palatiũ: non peſſima tamen quæque ſolummodo eligit, nedùm approbat, quod ni ita ſit, tolle hominum ſocietatem, tolle leges, ius, faſq;, amorem veri, erroris falſique odium. quod cum facis incautus, & intellectũ, & voluntatem pariter ſuſtuleris, quorum virtus omnis in bono & malo, verò & falſo, & inter ſe diſcernendo, & alterutrum proſequendo conſiſtit, qui non vi tanquam tempeſtate inuita abripitur, ſed quantumuis neceſſariò volens atque lubens, tamen malo & prauo ſpecie boni fallitur. quod enim malum prauumque, quatenus tale, lubens volenſque nemo eligit aut appetit vnquam. Quid ergo? ſupereritne homini, quem ſcripturæ omni bono nudum atque vacuum teſtantur, aliquid boni? Nondum (diſtinctione adhibita) ita expedio: bonum duplex haberi poteſt: alterum Dei optimi ſententia, cuius oculum vel integerrimæ actiones humanæ haud fugiunt impune. alterum huius tanquam adumbratio quædam hominum mentibus ex illa prima ruina adhuc inhęrens animo, qua hominibus probantur bona, reprobantur contraria: iuſtitia colitur, & vis & fraus omnis

vertuntur

vertuntur vitio. erit itaq; bonum istud humanum, alterum diuinum. Bonum autem rectè dici hominum cordi eiusdẽ acta radicibus conscientia liquidò confirmat, quæ nunquam quia minus bonum sequitur, sed quia omnino malum elegerit, scelere agitatur, ac animus praui conscius vritur. *Coactus*] Statueras paulò antè voluntatem omnia eligere, cur hîc humanã quæ mala sunt tantùm, approbare doces? quorum neutrum omnino rectè dici queat, cum electiò & voluntas bona tantùm sibi proponant, in quibus versentur; nec malum eligat, sed fugiat, damnet & deuoueat vnusquisque: bonum autem humanum duplex est; verum, & veri boni specie illudens: vtrunque electioni & voluntati subiectum.

26 *Inuentione*] Inuentionem & iudicium, rationis omnis exercitiationẽ & vsũ humanę animæ propriũ decernis: atqui verò dæmones siue angeli siue diaboli ipsi vbi ratione vti velint, & rationales habendi sunt (quemadmodum tu ipse autor nobis es Scriboni) omnem illam facultatem inueniendo, & iudicando exercebunt: tertius nullus est vsus rationis reliquus.

27 *Rerum*] Nec rerum, nec vocum excogitatio logica inuentio peritè appelletur, sed tota hominis inuentio rationibus rimandis (quæ & de rebus ipsis ac rerũ vocibus concipiuntur) consumitur: quod namque extra mentem hominis ponitur, id locum in logicis nullum obtinet: mente tantùm & animo versãtur, quæ huius artis artificem postulant, non oculo, non aure, non denique sensuum præterea aliquo exercentur. at verò res rerumque indices voces ita habent: & sensibus occurrunt, nec proinde subiacent materies logicæ inuentioni, neq; id de omni

genere rationum tenendum, ſed de ijs tantùm quæ à Dialecticis argumenta appellantur: rationes ſolummodo à Logicæ inuẽtrice parte & præcipiuntur, & animo inuentione occupato differuntur. *Cognoſcendarum*] Non vt eadem cognoſcat tantũ, argumentorum inuentionem exercet Dialectices inuentor (inutilis namque omnis eiuſmodi eſſet contentio) ſed vt eis ſcitè ritéque diſpoſitis aliorum aliquorum cognitio eliciatur: neque qui argumenta ipſa cognoſcit, ex eis ipſis ſcientiæ lumen obtinet, ſed quatenus aliqua diſpotionis luce alterius argumenti ad alterum vel cognationem vel pugnantiam inde agnoſcit. *Plenior*] Quod hîc addis, iudicij pleniorem eſſe examinationem, videtur artis Dialecticæ membra potiùs gradu, quàm Natura diſtinguere. Nam profectò nõ plenior, ſed omnino omnis rei examinatio & diſcretio penes iudicatricem Dialecticę partem exiſtet. Quod enim ne quidem axiomate comprehenditur, nec examinari nec diſcerni poteſt (Scriboni) neque profectò impune prętermittẽdum eſt, quòd cùm proprietates, non harum effecta, quæ infinita & hiſtorica ſunt, docere debuiſſes: tu contrà inuentionem & iudicium tanquam actiones non facultates definis. Nam iudicium inuentorum non eſt, ſed ex inuentis diſpoſitis aliud quid iudicatur, non illa prima rationis actione inuentum, ſed ex diſpoſitis argumentis vel axiomatis, aliud natum.

28 *Res*] Non res, ſed rerum rationes tantùm; vt ſupra 27. diſputauimus. *Sympliciter*] Si iudicium examinat, atque diſcernit (quemadmodum priùs docueras) expedi nobis quo pacto vel res, vel rerum affectiones ſimpliciter perpendat. Iudicium namq; ſemper duorum eſt: & eorum quæ reſpectum & relationem

tionem quandam, vel consensus, vel dissensus, obtinent. *Rerum*] Non rerum veritas est aliqua, vt nec falsitas vlla; sed axiomatum tantùm: quæ argumentis consentaneis affirmatis, dissentaneisque negatis, verũ proponunt, falsum, cũ idem secus atq; rei Natura ferat, axiomate vel affirmatè, vel negatè enunciatur.

29 *Vtriusq;*] Malè opinionem & scientiam falsi tradis: nã falsi nec scientia, nec logicum iudiciũ. quoniam id omne sophisticũ est axiomatis: vt inconsequentia syllogismi, cõfusio Methodi. Sophisticæ autẽ scientia, quæ ex causis orta rẽ proponit, & in mediam lucẽ producit, haud aliqua (nisi quę ex contrario percipitur) tradi potest: & errorũ nulla doctrina per se instituitur: Quæ infinita sunt, nisi ad veri atq; recti præcepta referantur, atque tum demum, nõ quatenus talia sunt, falsa percipiuntur; sed quatenus vero antè percepto, & cognito, dissentiant.

30 *Res*] Non res (inquam) sed rerum rationes.

31 *Peperit*] Potius syllogismus peperit rerũ dubiarum iudicium. Nam dispositio est ad bene iudicandũ: ergò iudicium est posterius syllogistica dispositione. Sillogismus namq; fidem facit, ex quo natum iudicium, sine quo nequaquã nisi admodũ, & per se, manifestæ, fidẽ habet rationi. Sin verò artẽ syllogismi ex judicio logico ortam habeas: vide ne quod omnino mentis est ratione præditæ, & eiusdem iudicante facultate imbutæ, in ipsam facultatem, vel potius artẽ per se ociosam cõferas. Adde huic facultatem inueniendi peperisse inuentionem, cùm eiusmodi omnis artis molitio, nõ sit vnius facultatis, sed omnino Rationis vniuersæ, qua artis præcepta, & inuentioni, & dispositioni, siue logico Iudicio parent. *Dispositionem*]

Eandem de Methodo fero, quam de syllogismo tuli sententiam: hanc videlicet variorum Axiomatū deductionem peperisse, potius quàm eandem Methodi authorem. Nam ex Methodi lege deducuntur axiomata prima posterioribus, Clara obscuris, Generalia specialibus præposita. Præceptum autem Methodi aliud à Methodo, & longe diuersū est: & vniuersæ rationis opus: neque tantùm ad iudicandi facultatem referendum.

Hucusque de rebus formatis: sequitur de materiatis.

32 *NAtura materiata est essentia in corpore motui obnoxio subsistens.*

33 *Motus autem eiusmodi in corporibus vniuersis causa est ipsorum forma: ab hac enim sola omnis etiam mutatio dependet.*

34 *Quò perfectior igitur formæ cum materia corporis fuerit coadunatio, eò corpus quoq; perfectius & durabilius erit.*

35 *Mobilis porrò eiusmodi naturæ qualitates vel manifestæ sunt, vel magis occultæ.*

Manifestæ sunt, quæ facilè & euidenter obseruari & cognosci possunt: eæq; vel principes sunt, vel ab his ortæ.

36 *Principes qualitates sunt, quæ reliquis vniuersis originem præbent.*

Et hæ vel fortiores sunt, vel languidiores.

Fortiores, quæ maiorem agendi vim obtinent: vt calor & frigus.

37 *Calor est qualitas congregans homogenea, & heterogenea disgregans. Ita aurum cum auro, & aliud quoduis cum suo simili facilius coniungitur: aurum verò ab argento etiam hoc modo separatur.*

38 *Frigus qualitas est homogenea pariter & heterogenea simul congregãs: ut videmus tempore hyberno res etiam diuersissimas à frigiditate aeris similiter constringi: ut lapides, stramina, stercoramenta.*

39 *Languidiores sunt quarum minor est actio: ut humor & siccitas.*

40 *Humor est qualitas difficulter termino proprio consistens.*

Sicctas est qualitas facilè proprio limite determinabilis: ut ostendunt corpora quibus hæc inest. ea enim facilius in suo loco quo viuunt aut mouētur, manent, sicuti ligna, lapides & alia,

41 *A principibus ortæ qualitates sunt, quæ à primis profluunt: id quod accidit illis vel immidiatè, vel mediatè.*

42 *Immediatè à primis deriuantur, quæ vulgò secundæ nominantur: & quidem vel à singulis primis, vel pluribus simul.*

43 *A singulis primis qualitatibus oriuntur tactiles: dictæ hoc nomine, quòd tactu potissimùm obseruari possint.*

44 *A calore nimirum oritur tum Raritas, tum Leuitas. Calor enim resoluens & aperiens corporum meatus, relaxat eos, & ampliores reddit, ut ipsa etiam leuiora fiant.*

45 *Raritas verò est qualitas spaciis inanibus siue vacuis corpora intercipiens: quæ apparet in spongiis, aquis, nubibus, cineribus, &c.*

46 *Ob hanc qualitatem vas cineribus repletum tantundem aquarum imbibit, quantum alioquin vacuum illud capere possit. Item proiectis in aquam lapidibus etiam grandioribus nullum vacuum oritur, sed partium tantummodò ob raritatem utrinque in se coactio.*

47 *Leuitas est qualitas à calore orta sursum omnia euehens.*

Vbi intelligas hanc copiosius inesse corporibus rario-

 ribus.

ribus. eaq́; accendi etiam facilius, etiamsi minus sint calida, quia in omnibus partibus profundioribus ignem citius concipere possunt: quemadmodum calami, præsertim aridi, celeriter exuruntur.

48 *A frigore oritur & densitas & grauitas: frigus enim virtute sua congregante partes corporis magis cogit, vt coacta corpora etiam ob ponderositatem deinceps grauiora fiant.*

Densitas est qualitas à frigore orta, solidius firmiusq́; corpora constringens: vt in silice, cote.

Grauitas est qualitas deorsum mouens, ob cuius abundantiam Mercurius infimum quemque locum petit, vt vel plumbum ei supernatet, Eoq́; rursum grauius est aurum, quia longè etiam densius.

49 *Ab humiditate prouenientes tactiles qualitates sunt mollities, tenuitas ab aerea: lenitas, lubricitas ab aquosa.*

50 *Humiditas enim partes corporum emolliens, & per substantiam eorum transiens, facit vt facilius simul attenuari & expoliri possint.*

51 *Mollities est qualitas humiditatem participans, corpora tactui cedere faciens, qualis apparet in carne, cerasis, prunis, &c.*

52 *Tenuitas est qualitas, qua partes corporum subtiliter comminuuntur: cuiusmodi est in aere.*

Lenitas est qualitas corpora plana & æqualiter composita reddens, vt in crystallo gemmisq́; aliis.

53 *Lubricitas est qualitas leuitatem corporum procreans.*

54 *A siccitate ortum trahunt durities & asperitas: item friabilitas & ariditas. Exhausto enim succo asperiora aridioraq́; omnia fiunt.*

55 *Durities est partium exiccatarum congelata magis crassities.*

Asperitas

Asperitas est partium inæqualis prominentia, vt in rudi pumice & aliis.

Friabilitas est quæ corporum partes minus cohærentes facit, vt facilius atteri queant : vt in sale, saccharo, arena, &c.

56 *Ariditas est qualitas nimium corpora exiccans.*

32 *Essentia*] Hactenus de naturis formatis, sequitur materiatarum doctrina. Materiatas definis essentias, &c. Præterito proximo genere natura, quod in definiendo vitiosum imprimis est: aliud autem essentia, aliud natura. Hæc essentia constans, illa verò naturis materiam & formam præstãs. Et cùm priùs naturam formatam tantùm à materiata distinxeris, idem genus retinendum fuisset, nec altiùs ad essentiam ascendendum. *Corpore*] Addis formæ, vel differentiæ loco, in corpore motui obnoxio. At verò quęnam erit illa demum natura Scriboni? Quod in alio subsistit, id per se subsistere nequit, quod autem per se non subsistit, id ne natura quidem est (cùm naturam per se subsistere priùs definieris) ergo iam recens natum fœtum materiatam naturam, ipse parés proprio argumento (vt de monstris fieri solet) tanquam manu, obstructo ore, suffocaueris. *Subsistens*] Omnis essentia, vel materia, vel forma est, vel natura ex eisdem conflata: atque quid id tandem erit essentiæ, nisi forma sit, quod in corpore subsistere potest? Materia non est, cùm hęc partem corporis physici compleat: ergo forma erit: ex quo oritur (hac definitione tua.) Naturam materiatam, formam esse, corpore vel materia donatam. Vnde altera fluit naturæ formatæ distinctio: non (quod instituera s) materiatæ definitio. *Obnoxio*] Motus omnis qui saluis naturæ rebus existit, & qui naturalis censendus, oritur

oritur ab insita facultate. Quòd autē natura res affectat, eidem obnoxia (nisi valdè catachrestico sermone) dici non potest. Non ergo obnoxia est, sed eodem gaudet, mouens natura. Et cùm varia motus genera physica sint, neque omnia omnibus naturis conuenientia: (aliæ namque generationis & corruptionis vices habent, aliæ loco feruntur, harum aliquæ viribus perpetuò constant, eodemque loci perstant) lege sapientiæ, motus (siquis eiusmodi sit) omnium naturarum communis primùm: tùm suis locis reliquarum proprius tibi foret explicandus.

33 *Forma*] Non omnis corporū motus forma author est, sed eius tantùm, quo res natura sua fertur, & ducitur: neque enim corruptio à forma rei oritur, nec diminutio: quæ tamen motus quidam sunt, neutro tamen à forma manante (cuius est materiam fouere, & corpus tueri, nihil autem corruptioni tradere) sed ab aliena, externaque vi. Hinc sese tuetur vnumquodque natura editum, labefactatur autem, & perit alieno extraneo, robustioribus, & pugnantibus viribus, pollente. *Omnis*] Si istud accipi vis de corporis forma: assentior lubens; sin verò de naturæ forma, materia constantis, quantumuis amicus Plato, aut Socrates, veritas tamen longè amicior. Nam sunt certè corporis, ac naturæ formæ, inter se distinguendæ, cùm alia sint, atque alia corpus, & natura, & propterea diuersas formas obtinent.

34 *Perfectior*] Ista, quam coadunationem dicis formæ cùm materia, in omnibus naturis æquè perfecta est. Nisi aliquam imperfectam naturam statuas, cuius omnia perfectissimè absoluta sunt opera,

ra. Nam quòd aliæ perennes magis aliis ſint, non ex perfectiore formæ cum materia maritatione oritur, ſed ex materiæ ipſius puritate, & ſinceritate, qua ſimpliciſſima forma gaudens, diuturnum obtinent vinculum durationis. Nam profectò niſi forma perfectiſſimè cùm materia miſceatur, nihil vel momento temporis duraret, aut omnino exiſteret.

35 *Mobilis*]Audias hic Scriboni iuſtã motus querelam, qui varius, fuiſſet hic phyſices Doctori diſtinguendus. Quo præterito, cùm illa ipſa mouendi facultas qualitas ſit, eaque vel manifeſta vel obſcura; ad alias qualitates prolaberis, quod quo iure facias, litigandum tibi Scriboni. Qualitates autem quas deinceps memoras, non omnium corporum mobiliũ communes, ſed certorum propriç ſunt tantùm. Corpora namq; cœleſtia, & caliditate, & frigiditate carent, & omni elemẽtari qualitate deſtituũtur. Quas tu ex lege ſapientiæ proponis cunctis mobilibus naturis, in quam tamen elenchum manifeſtum committis.

36 *Principes*]Malè principes dicũtur primæ, nam illæ ſympatheticæ, ſunt calefactoriis, atque refrigeratoriis, longè principaliores, & tantis viribus pollentes, vt difficilè admodum ad primarum miſtarum rationem referas. Et cum nu. 33. motum omnem ad formam retuleris, parùm tibi conſtans, hîc maximam motus partem in corpus, & materiam confers: & quæ propriæ elementorum ſunt primæ, corporum inde conflatorum doces communes. Sunt ſanè corpora compoſita, calida, frigida, humida, ſicca, non id tamen per ſe: ſed quatenus elementorum vnde oriuntur, naturam recipiunt; compoſitionis

poſitionis ratione, altiores qualitates obtinentes.

37 *Homogenea*]Calor heterogenea tantùm ſegregat,atque eatenus homogenea congregat, non per ſe,ſed quatenus heterogeneis ſegregatis,neceſſe eſt ſupereſſe coacta homogenea. Vnumquodque enim natura, & ſua ſponte, (nil impediat modò) ad ſui ſimile fertur. Quibus namque aurum excoquitur, vt habeant obriſum, eo id conſilio igni moliuntur, vt impuro à puro ſegregrando profectò, tandem quod vel millies excoctum,nullam impuritatem oſtendit, ſuperſit ſincerum.Idem in muſto videre eſt,quod adhuc calore innato æſtuans, continuò molitur partium diſparatarum diſcretionem; quibus diſcretis, purum ac liquidum ſuperat generoſum merum. Atque profectò tanta vis ſegregandi calori ineſt,vt ſaltem fundat homogeneum alieno liberum, ac purum: quodque natura fuſile non eſt, in calcem, & cinerem agat.

38 *Homogenea*] Contrà verò frigus heterogenea tantùm ſegregat, homogenea denſat, niſi fortè illa heterogeneorum congregatio, nil aliud ſit quàm homogeneorum quædam denſatio: maximè humore præditorum, & poris ad frigoris morſum conniuentium. Ex quo gelu cohærent alieniſſima tanquam glutino; aqueo humore denſato, qui niſi ſubſit, & omnino res ſicca, atque arida ſit, nulla prorſus foret (quantumuis rigidiſſima hieme) frigore rerum diuerſarum conglutinatio.

39 *Minor*] Magis tactum feriunt calor, & frigus: in cæteris pares ſunt humiditatis, atque ſiccitatis, agendi virtutes: ſin autem in nonnullis pares ſint,

ſex

lex veritatis vix eiuſmodi admitteret ex forti vel languido qualitatum diſtinctionem.

40 *Humor*] Rectiùs dixiſſes humiditatem, cùm de qualitate, non de ſubſtantia humore, ſermo habeatur. Neque certè ſatis conſideratè qualitatibus terminos aſſcribis geometricos, quæ omnino diméſionibus carent. Certè humores, & vnumquodque humiditate diffluens, ægrè ſuo termino continetur: ſiccitate rigidum contrario ſeſe habens modo. Qualitatibus verò limites eiuſmodi nulli contingunt, nec termini.

41 *Mediatè*] Quod ab aliquo alio mediante fit: id non ab eo propriè oritur: ſed ab illo mediante. Aliâs cuiuſque materiam non à proximo, ſed altius ab ipſa materia prima repeteres; & ſic omnium rerum genera confuſa, nec phyſicè diſtincta, doceres.

42.43 *Singulis*] Quicquid ab aliquo oritur, vel tanquam à materia, vel ab efficiente oriri dicitur: at verò ſingulæ primæ materiæ non ſunt: (nam calidum, frigidum, humidum, ſiccum, ſemper manent talia) quod autem alterius materia foret, mutari neceſſe eſt: hæ verò (ſaluis ipſis) mutari renuunt: propterea materia non ſunt. Efficiendi verò virtutem nihil in ſeſe, ſed in aliud tantùm obtinet. Ergo omnino ſingulæ primæ, ſecundarum authores nullæ ſunt. Cùm autem nec materia, nec effectrices ſint, certè nullæ ſecundæ ab his ſingulis oriuntur.

44 *Calore*] Hîc calorem, ſecundarum, raritatis, leuitatiſque, facis authorem efficientem. Atque omnis efficiédi virtus, in aliud exeritur. Id autem aliud qualitas eſt (hæ namque ex qualitatibus tantùm

tùm oriuntur.) Ergo ad ortum ſecundarum, neceſſe eſt ſaltẽ binas ſubeſſe primas, ex quibus ſecundarum genus fluat. Et cùm qualitates ab aliis diductæ, miſtione tantùm fiant, neque vnius tantùm miſtio ſit, à ſingulis primis nulla oriri poteſt. *Reſoluens*] Cùm aër frigidum elementum ſit, & corpus leuiſſimum rariſſimumque, tamen non ex caliditate videtur iſta tenuitas pendere, ſed potiùs ex ſubiecti, in quod calor agat, ratione & natura: pro huius namque diuerſa ratione, non tantùm rarefacit, ſed haud ſecus atque frigus congelat, ſummus calor, & (exhauſto humore) denſiſſima coquit. Aëris autem frigiditas, quòd vel aquam ſeipſa frigidiorem (etiam congelando) facit, liquidò cernitur. *Aperiens*] Calor non ſolùm reſoluit, & aperit meatus laxos: ſed etiam conſtringere, & comprimere poros comparatus eſt. Hinc ex vſtionibus continui ſolutiones, & inde dolores, in corporibus ſenſu præditis, meatibus ita feruore adductis, vt continuum dehiſcat, vtrinque partibus contractis.

45 *Raritas*] Non eſt corpora intercipiens qualitas, ſed ipſius corporis qualitas. Nam vt ſpongiæ meatus aqua intercipiantur, nihilo ſolidiores euadent: nec ex incluſo aëre rariores. Sed raritas omnis penes ſubſtantiam, & rei corpus eſt, non intercipientes poros qualitatem.

46 *Grandioribus*] Non cunctis lapidibus grandioribus, ſed de poroſis tantùm accipiendũ; qui ſi tanta eſſent raritate, quî fundum peterent, ac non potiùs natarent?

47 *Surſum*] Qualitates hæ, quemadmodum & aliæ quædam reliquæ, potiùs ex elementorum corporibus, & materia, quàm ex aliis qualitatibus oriri

ri videntur : cùm calefactum idem nihilo leuius ſit quàm refrigeratum , niſi fortè ex calore ſubſtantiæ aliquid depereat : vt nec refrigeratum , grauius.

48 *Frigus*] A frigore nec denſitas , nec grauitas : ſed ipſa elementorum materia , & (vt ita dicam) corpore : nam æquè calor cogit, atque frigus . Neque profectò (mea ſententia) ſatis phyſicè, denſitas & grauitas à frigore ; vt nec raritas, & leuitas à calore, æquabiliter deriuantur . Nam primùm, quod leue , rarum eſt, & inde leuitate præditum : quod graue, denſum ; ex quo, ad centrum fertur. Quòd niſi ita foret, vel grauiſſimum supernè volitaret : & leue ad centrum contenderet : vnde plumbi granum , aquæ fundum citius petit, quàm nauis ingens mercibus onuſta : & vaſtæ nubium moles, raritatibus in aëre medio ſuſpenduntur : quæ tandem in aquas denſatæ, iterùm reciproco motu deſcendunt, & verſus centrum præcipites ruunt.

49 *Mollities*] Atque comperimus experientia, aëriam humiditatem omnino nihil mollire , ſed aqueæ eſſe corpori tactu cedere, cùm tamen faciliùs ſeſe quàm aqua, vel ſolidiſſimis corporibus, inſinuet aër.

50 *Expoliri*]Vitro fuſo nihil eſt magis expolitum, ſiccum tamen : & ſpecula chalibea in leuiſſimam ſuperficiem perpoliuntur : qui tamen inter metalla ſicciſſimus habetur chalibs . Non itaque quòd humidiora ſint, eò politiora euadunt corpora.

51 *Participans*] Si humiditatem participat (vt hoc loco doces)non vt ab efficiente inde oritur: ſed tãquam à materia, quod cùm ita ſit,idem in cæteris

prædictis

prædictis tenendum. Calorem autem raritatis, aut leuitatis materiam esse, aut mollitiem ab humiditate materiam petere, nullo syllogismo comprehendas. Quid ergo? sunt sanè hæ, secundæ dictæ, primarum comites, & sociæ potius, quàm effecta quædam, tempore, Naturaque pares. Quod nisi detur, aër ipse quia humidus, tenuis, mollisque foret: & inde aqua leuis; quæ tamen qualitates in ipsis elementis pariter ingenitæ sunt, non altera ab altera deducta. Secus si sit, essentiales proprietates non innascerentur aeri & aquæ, tenuitas & mollities: vt nec igni leuitas, aut terræ grauitas: sed aliarum effecta existerent. essentiales autem esse, quia sine his elementorum Natura interiret, clarum atque perspicuum est. Vnde non quia calidius quid, eò leuius; neque quia frigidius, tantò grauius; sed quò plus leuis, vel grauis elementi obtineat, eò leuitate euolans, vel pondere decidens, elementi proprij vim indicat, non copiam sociæ qualitatis.

52 *Comminuantur*] Videtur potius friabilitatis esse, quàm tenuitatis facilè comminui. quod comminutum, substantiæ crassitiem, & soliditatem, amittit: quam prius obtinuerat integrum. At verò aëris vel mimina guttula, eandem crassitiem substantiæ obtinet, quam minimè diuisa. Neque ex comminutione pendet aeris tenuitas, sed ex Naturæ suæ liquiditate.

53 *Lubricitas*] An non potius (Scriboni) leuitas lubricitatis causa est, quàm par humiditatis aqueæ effectum? Lubricum enim id est, in quo difficile figas pedem, ob superpositam leuitatem: propterea huius lubricitatis causa, erit aqueæ humiditati subalterna, non æquabiliter inde deductum effectum.

54 *Durities*]

54 *Durities*] Cur non crassum item à siccitate, vt ab humiditate, tenue? Æqualis namque vis (cæteris paribus) contrariorum est. *Asperitas*] Si asperum à siccitate oritur, cur non vbique asperitas vbi siccitas? Asperitas autem superficiei tantùm est, vt & contraria leuitas, non totius. *Ariditas*] Probabilius est, friabilitatem ariditatis effectum esse, potiùs quàm æquabiliter ex siccitate natam: fit enim absorpto vniuerso humido lento, quo priùs tanquam glutino partes coaluerunt: vt in calce liquido est cernere: quæ ignis vi ebibito humido, facilè in puluerem, vel digiti mollissimi pressu, atteritur.

55 *Congelata*] Siccatæ partes congelari nequeũt, humido tanquam vinculo congelandi destitutę. Humida namque sola, eaque aquea, tantùm congelantur: nec id siccitate; sed frigore.

56 *Ariditas*] Non siccat, sed siccitas potiùs arefacit. Hinc arenæ, aut cinerum ariditas, non eadem ipsa siccat, sed summa potiùs horum siccitas, ariditatis causa existit.

57. Adhuc de qualitatibus primis, & quæ ab iis singulis immediatè proueniunt secundariis: sequitur de coloribus.

A Primis verò qualitatibus diuersimodè simul cõiunctis oriuntur reliquæ sensibiles.

58 *Harum ortus vel obscurior est, vel manifestior.*

Obscurior ortus est qualitatum, quæ primarum, vnde oriuntur, radicem non simpliciter & absolutè semper arguere & demonstrare possunt: vt est color corporum.

59 *Color eſt ſplendor corporis lumine illuſtrati. Hoc diuerſimodè omnino corpora tinguntur: prout videlicet poſt humiditatem magis minúſve decoctam parum aut multum luminis recipiunt.*

Color autem vel ſimplex eſt, vel mixtus.

Simplex eſt qui è nullis conſtat aliis: vtpote tum albedo, tum nigredo.

60 *Albedo eſt color ſimplex in corpore tenuiore multa luminoſitate conſtans.*

61 *Oritur hæc ex humido aëreo plenius excocto: copioſus ſiquidem aër ob tenuitatem multum luminis in ſe continet.*

62 *Nigredo autem eſt color in corpore craſſiore, exiguæ luminoſitatis particeps.*

Hæc prouenit ſimiliter ab humiditate: ſed vel aërea aduſta, vel aquea cruda terræ commixta.

63 *Aëre enim excluſo & humido exhalante à flamma aduſto, atra fiunt corpora: vt apparet in iis maximè, quæ ignis lambit. Item in terrarum partibus, quæ ob humiditatis aquoſæ, quam calor imbecillior coquere non poteſt, abundantiam, nigreſcunt.*

Mixtus color eſt, qui è ſimplicium contemperatione producitur.

Mixtus vel exquiſitè medius eſt inter ſimplices: vel alterutri eorum propinquior.

Medius eſt qui ex vtroque ſimplici oritur: vt rubedo.

Rubedo eſt color æquali ſimul albedinis & nigredinis cõbinatione conſtans.

Alterutri extremorum ſimplicium propinquior eſt, qui ex alterutrius cum media rubedine commixtione oritur: vt quilibet alius.

Eiuſmodi eſt flauedo, color croceus: item viridis & purpureus.

Flauedo eſt color è plurima albedine paucioreq́; rubedi-

ne mixtus: vt si sumantur duæ albedinis partes & vna rubedinis.

Croceus color est, qui maiore rubedine minoreq́; albedine constat.

Viridis est color è nigredine copiosiore & rubedine minore contemperatus.

Hic cæteris gratior apparet, quoniam omninò nitidus est, & multo simul humore constans.

Est enim humor tantùm nitidus. Vbi videlicet crassum humidum leuiter excoctum est, & in poros aërem admittit, corpora virescere incipiunt. vt ostendunt cauitates ab imbribus sæpius madefactæ, quæ cum ex pluuiis nigredinem contraxerint, & aliquot deinde diebus calore Solis aruerint, virides euadunt.

Purpureus deniq; color est qui è multa rubedine & pauciore nigredine commiscetur.

57 *Secundariis*] Ex qualitatibus secundis lentum præteriisti (Scriboni) quod tamen in secundarum album pari iure cum cæteris inscribendum fuisset: & ab aliis natura diuersum. Neque enim molle, nec tenue, nec leue, nec lubricum est, ab humiditate tamen oriundum.

58 *Obscurior*] Clariùs docuisses manifestior, vel obscurior: obscurum enim manifesti negatum est, & propterea posterius: methodi verò lege, quòd prius, præponi debet, vt posterioribus colluceat.

59 *Splendor*] Haud Logicè splendorem coloris genus statuis, cùm non omnis color splendeat: in albo namque quod splendeat candidum propriè dicitur, vt argento splendor, non cretæ, aut chartæ: qui potiùs gratia quadam, & tanquam illecebra ad colorem accedit, quàm illius genus est. *Humiditatem*] Suprà dixeras primas diuersimodè coniunctas, secun-

 darum

darum, qualitatum tanquam matres esse. Hîc verò humiditatem tantùm matrem; calorem decoctricem vim, colorum authores facis. Efficiens autem causa, cum materia haud rectè coniungi dicitur, ad aliquid constituendum; sed in materia operari, ipsa prorsus extrà posita.

60 *Tenuiore*] Albedo etiam in corpore densissimo reperitur, vt in marmore.

61.62 *Multum*] Definieras priùs colorē esse splendorem corporis lumine illustrati, eumq; colorū omnium essentiam cōtinere docuisti. Essentiæ autē natura, nec magis, nec minùs admittit: hîc verò albedini plus luminis inesse doces: quasi magis cæteris coloribus genus lumen participaret: quod si facit, splendor potiùs qualitas colori accedet, quàm genus coloribus constituet. Genus autem æquabiliter omnibus speciebus communicatur, aliâs nigredo albedine minùs color esset.

63 *Exclusio*] Quem hîc exclusum dicis, priùs dixeras adustum. Quòd autem non subest, sed excluditur exustum esse potest, aduri nequit. Exustum autem, nihil ad nigrum colorem contulerit.

Explicatis coloribus: sequitur de saporibus.

MAnifestior est ortus qualitatum mixtilium in saporibus & odoribus. Ex his enim facilius principes qualitates unde oriuntur arguere possumus.

64 *Sapor est qualitas è siccitatis per humorem percolatione genita.*

Sapores originis illius ratione vel calidi sunt, vel frigidi.

65 *Calidi, vel vehementer sunt calidi, vel mediocriter.*

Vehementer calidi ſapores ſunt, acrimonia, amaritudo, ſalſedo.

Acrimonia eſt ſapor linguam mordicans, & valde diſſoluens: qualis eſt in pipere, zinzibere, allio, cepis, & aliis.

66 *Amaritudo eſt ſapor linguam erodens, & ad profundum penetrando ipſam vehementer adſtringens: qualis eſt in felle, nitro, aloe, & aliis.*

67 *Salſedo eſt remiſſior amaritudo, ſic dicta, quòd in ſale potiſſimum deprehendatur.*

Mediocriter calidi ſapores ſunt dulcedo & pinguedo.

Dulcedo eſt ſapor calidus linguam leniens, & cum ſuauitate applanans, qualis eſt in lacte, melle, ſaccharo, vino, & aliis.

Pinguedo eſt ſapor eadem ferè præſtans, ſed abſque ſuauitate: qualis eſt in butyro, adipe, & ſimilibus.

68 *Frigidi ſapores ſunt, qui à frigiditate orti, adſtringendi facultatem obtinent: omneſq; in eſſentia vel craſſiore, vel tenuiore.*

In craſſiore ſunt acerbitas, auſteritas.

Acerbitas ſapor eſt frigidus linguam fortiter contrahens & exaſperans: ut velut humorem ab ea exprimere videatur: qualis eſt in fructu glandium, pyris ſylueſtribus, in ilice, fago, arbuto.

Auſteritas eſt ſapor frigidus, linguam minùs contrahens: qui deprehenditur in fructu myrti, malicorio, & aliis multis.

In tenuioris eſſentiæ corporibus eſt aciditas.

Aciditas eſt ſapor frigidus, linguam mordicante tenuitate diuidens & vellicans: qualis eſt in agreſta ſeu omphacio, in oxalyde, aceto, & ſimilibus multis.

64 *Siccitatis*] Non originis ratione, cùm (authore teipſo) origine, ex ſiccitate tantùm, per humorem percolata, ſapores oriantur. Quid autem ſiccitati & humiditati cum calore? Et cùm omnis ſapor guſtu

deprehendatur, propriè nec calidus nec frigidus dici poteſt: cuius omne iudicium penes guſtum, non tactũ exiſtit. Ergo rectius ſapores aliquo guſtu percepto diſtinxiſſes: cùm non magis calidus ſapor quàm odor calidus, aut viſum calidum, dici queat: quorum neutrum propriè affirmare potes.

65 *Vehementer*] Potiùs mediocriter, vel vehementer, cùm vehementer ad mediocritatem dicatur; & vehementi prius ſit natura; propterea diuiſionis alteri membro præponendum.

66 *Erodens*] Atq; maior vis rodédi acrium, quàm amaritudine præditorum eſt, vt eſt in pipere, ad abſinthium, manifeſtum. *Aſtringens*] Aſtringens potiùs ſaporum frigidorum eſt, quàm amarorum: qui parum admodum aſtringere deprehenduntur.

67 *Remiſſior*] Non remiſſior amaritudo, neq; gradu diſtinguenda (cùm priùs ſpecies ipſe ſtatueras) ſed alius prorſus ſapor à ſalſo amarus eſt: nec non gratus, & gratiã apoiis, & pinguibus prębens, amaro inter ſapores ingratiſſimo, & maximè omniũ odioſo

68 *Aſtringendi*] Aſtringendi virtutem priùs (66) amaris tribuiſti, nec ergo ex lege ſapientiæ, (modò priùs verè tributa ſit) hîc repetenda.

Abſolutis ſaporibus: ſequitur de odoribus.

ODor eſt qualitas è ſicci terrei caloris exuſtione attenuati cum humido euaporabili cõmixtione proueniens. Si igitur calor bene concoctum humidum cum ſicco probè congrueq; etiam permiſceat, bonus odor: ſin verò malè, malus ac fœtidus generatur.

69 *Vnde in Oriente naſcuntur res odoratiores: quia ob loci*

loci caliditatem plenius aduri, exiccari, & defecari possunt.

Et quæ in nostris regionibus odorata crescunt acria: quia sicciora, plerunque magis fragrantia sunt.

69 *In Oriente*] Orientales sunt nihilo occidentalibus calidiores sub eadem Parellela constantes: sed omnis eiusmodi calor, ex austrino sole oritur. Odores reliqui hîc, vt priùs sapores, fuissent physico doctori prosequendi.

Hæc de qualitatibus, quæ singulæ à primis immediatè oriuntur.

70 *MEdiatè à principibus ortæ qualitates sunt, quæ in interuentu aliarum maximè tactilium à primis profluunt.*

71 *Eiusmodi qualitates sunt facultates generandi carnem à siccitate, & leni detersione: cicatricem inducendi à valida siccitate & vi constringente: glutinandi ab iisdem, sed moderatioribus.*

70.71 *Tactilium*] Sarcotica vis naturæ omnino opus est, Scriboni, aliunde quàm à primis qualitatibus orta; illa autem quæ medicamentis inest, mediocriter siccandi virtus est. Qua excrementis & humiditatibus leniter ebibitis, natura per se carnis iacturam resarcit. Neque detersio, vt neque constrictio qualitates tactiles sunt, vt tu videris innuere; sed actiones. Tactus autem nec constructionem, nec detersionem percipit: propterea minimè opus fuisset has tertias qualitates introducere, quæ omnino primarum effecta tantùm sunt: idque in carneis tantùm corporibus. Quòd enim in aliis corporibus est moderatè siccare, id in carne prædita, & partis iactura laborante, carnem generare; in

 vulnere,

vulnere, vel vlcere æquali, cicatrizare, in continuo carneo soluto, glutinare. Neque qualitatum multitudo ex effectorum varietate propagãda, cùm ex subiectorum, in quibus vires exercét, infinitæ fere sint; sed ex natura sua sunt numerandæ. Porrò sarcotica vis, vt epulotica, & glutinatoria, cùm morborum, vlcerumque vel vulnerum therapeiam respiciant: medicum quid & posterius sapiunt, non physicam acroasin.

Tantum de qualitatibus manifestioribus: sequitur de occultioribus.

72 *Occultæ qualitates sunt, quæ diuturna tantùm experientia cognoscuntur.*

73 *Ab ipsa siquidem forma, adeoq; tota rei essentia hæ qualitates procedunt: vnde etiam specificæ dicuntur.*

74 *Illa autem nos in plerisque latente, & minus nomine suo perspecta, difficilius etiam qualitates eiusmodi obseruari possunt.*

75 *Occultæ proinde qualitates sunt vel per* ἰδιοσυγκρασίαν *propriæ, vel per* συμπάθειαν *patheticæ contributæ.*

76 Ἰδιοσυγκρασίαι *sunt congenitæ & natiuæ cuiuslibet rei proprietates.*

77 *Hæ simul cum speciebus suis, à quibus proueniunt, planè cœlestes sunt.*

Itaque etiam pro diuersa cœli syderumq; positu pleræque reguntur.

Præsertim verò in materia subiecta, certis temporibus, certisq; modis ritè præparata efficaciores deprehenduntur.

Hoc enim modo forma eas efficiens certis temporibus à forma syderum, cui similis est, melius exuscitatur: quamuis non in omnibus talis præparatio requiratur.

78 *Eiusmodi*

78 *Eiusmodi qualitas est Magnetis in attractione ferri: pæoniæ ad propellendum epilepsiam: fœniculi in morbis oculorum: scolopendriæ in epaticis.*

79 *Nec mirum est, si reperiantur etiam in hoc ordine qualitatum, quæ vel dæmones fugare possint.*

Patheticæ qualitates sunt, quæ mutua quadam compassione fiunt.

80 *Compassio illa vel concors est συμπάθεια: vel discors ἀντιπάθεια.*

81 *Sympathia est naturalis rerum coniunctio, siue concordia. Talis est in ficu arbore, & feroce tauro: is enim ad ficum alligatus mitescit. Olea virginis alicuius manu decerpta & plantata vberiores profert fructus. Ocymum maledictis & conuitiis lacessitum dum seritur, vberius & celerius nasci dicitur.*

82 *Huic etiam non immeritò adscribitur sanguinis è corpore interfectorum ad contactum præsentis rei profluuium.*

Antipathia est naturalis rerum discordia: qualis est inter rosarum odorem & vultures, ac scarabæos. Illi enim rosarum odore extinguuntur. Similiter capri & hirci plantarum culturæ veneno sunt.

72 *Diuturna*] Atque profectò quas manifestas vocas, pariter experientia cognoscuntur: nec hac diuturna magis deprehenditur, lapis herculeus ferrum attrahere, quam ignis vrere, vtroque vires æque manifestè, prompteque (oblato idoneo subiecto) exerente.

73.74 *Forma*] Non quia forma latet, ideo obscuriores inde ortæ sunt agendi virtutes: quæ vtcunque nos prætereat, vniuscuiusq; tamen formæ vis maximè insignis est, & huius illustrissimæ agendi facultates: vt in hominis natura rationis virtus, in brutis,

ac

ac vegetantibus naturis, actiones validissimæ; ad formam tantum, nec omnino ad qualitates elementares referendæ.

75 *Propriæ*] Omnes specificæ qualitates, propriæ sunt, vt forma cuiusque propria, inde namque specificæ dicuntur, quòd à propria rerum forma, alteri incommunicabili oriantur.

76 *Sunt congenitæ*] Eiusmodi sũt & patheticæ qualitates, congenitę, & natiuæ, quí enim aliter à forma proficisceretur? Neq; certe omnis natiua, & ingenita proprietas, ideo syncratica dicenda, vt igni calor: sed illa à forma rei orta, & abs te occulta nominata.

77 *Cœlestes*] Obscurum est, quod hîc de syderibus, formis rerum influentibus affirmes, quia posterius, neq; enim eò dum phsiycę doctrinæ filũ perduxeris.

78 *Magnetis*] Perperam hîc sympathiæ exempla, ad idiosyncrasiæ præceptum accommodas. est enim Magnes, ferro sympatheticus, vt fœniculum oculis, scolopendrum lieni, nõ Hepati: Pœonia autẽ epilepsiæ antipathetica. *Pæoniæ*] Physicæ sententiæ magister, institueras nobis antipathiam physicam: & rerũ physicarum, formarumq; pathiam docere: cur ergo Physicis limitibus prætergressis, ad morborum therapeiam descendis? facinus ex lege iustitiæ nunquam inultum ferendum.

79 *Dæmones*] Imò mirum admodum (Scriboni) concretarũ Naturarum antipathiis Dæmones (quorum spiritualis est prorsus existentia) fugari, quid enim? sunt sanè materiatis Naturis longè superiores, & ipse tu nobis autor es antipathiam harum propriam esse, nec formatarum item communem.

80 *Antipatheia*] An non vides te (Scriboni) pugnantia loqui? quænam illa demum foret mutua cõpassio

paſſio antipathetica? id eſt, ex diametro pugnans mutua compaſſio. Certè nunquam vel tibi, vel cuiquam mortalium obſeruata, vel animo fingendo cōprehenſa. adhæc cùm omnis ſympathia concors ſit, vt & diſcors antipathia: valde putidè, & otioſe, concors, atque diſcors, repetuntur. cumq; ſympathia nihil aliud quā compaſſionem latinè ſonet, cōpaſſionis ſpecies ſympathia nullo modo eſſe queat. vt potius iſta de voce nugatio ſit quàm Logica rei diſtinctio.

81 *Maledictis*] Difficile te (Scriboni) limitibus phyſicæ doctrinæ contines, quin etiam reliquarum artium limites inuadas, atq; adeo tanta de phyſicis limitibus propagandis inceſſit libido, vt ad veneficiā hos ipſos extendas, quæ nec ex conuitiis phyſica eſt neque eiuſmodi (ſi qua ſaltem omnino) antipathia pollens.

82 *Sanguinis*] Eiuſmodi ſanguinis effuſionem magis phyſicè ad antipathiam, quàm ad ſympathiam retuliſſes. eſt enim in cœdis authorem exſiliens ſanguis, vindictæ, & vltionis, potiùs quàm ſympathiæ, atq; amoris argumentum: quę namque foret illa inter inimicos & infeſtos hoſtes ſympathia?

83 Adhuc de rerum materiatarum communibus qualitatibus: ſequitur de earum rerum ſpeciebus.

Naturæ materiatæ vel ſimplices ſunt, vel concretæ.

84 *Simplices ſunt eſſentiæ rotundæ è nihilo primùm vniuſmodi compoſitione factæ.*

Simplices eſſentiæ vel cōſtantes ſunt, vel minus conſtātes.

85 *Naturæ conſtantes ſunt eſſentiæ propter perfectiorem formam diutiſſimè durantes.*

Eiuſmodi ſunt tum cœlum, tum ſtellæ cœli.

86 *Cœlum*

86 *Cælum est corpus constans ex aqua, in firmissimam essentiam instar pellis extensa concameratum.*

Materia enim cœli est aqua in tenuissimum halitum mixta, cum soliditate diffusa: quo sensu Schamaim *Hebraicè dicitur quòd ibi in cœlo aquæ sint. Et hac tensione expansioneq́; aqua antè liquida & fluida, ab aquis inferioribus distincta fuit.*

Cœli orbis tum immobilis est, tum mobilis.

Immobilis est orbis cœli extimus subtilitate splendidissima coruscans.

87 *Adeò enim fulgore coruscat, vt omnium mortalium visionem exuperet. Vnde à luciditate & splendore cœlum Empyreum dicitur.*

Hic orbis cœlestium omnium naturarum domicilium est. In hoc siquidem Angeli, aliiq́; beati, perpetuo gaudio faciem Dei coram intuetur. Huc etiam Enoch, Elias, & Paulus Apostolus antè obitum raptus fuit.

Vt enim Angeli hominumq́; animi finiti sunt, ita finitum quoque locum, nempe in cœlo illo Empyreo esse, occupant.

88 *Mobilis cœli orbis est firmamentum.*

Firmamentum est cœlum perpetuò mobile, omnia inferiora suo circunflexu tegens: quod à firmitate & stabilitate sic dicitur.

89 **Circummouetur autem totus ille orbis ab ortu versus occasum 24. horis, diem naturalem adimplentibus.*

90 *Ex præscripto legis καθ' ἀυτὸ hoc loco, omissa est doctrina de decimo nono aliisque fictitijs cœli orbibus, & circulis imaginarijs: quippe qui nullam habent subsistentiam corporata materia formaque constantem.

83 *Communibus*] Non sunt hæ communes omnium materiatarum proprietates: cum nec cœlo insint, nec stellis: imò quando à calido, frigido, humido, sicco, producis, neque horum aliquod cœlo insit, inde ma-

de manantes (cuiusmodi sunt maximam partem abs te hactenus traditæ qualitates) cœlo non quadrabunt. quid quòd tanta varietate dinstinctæ, ad propriam ac suam naturam accommodandæ fuissent, non quemadmodum tu fecisti, æqualiter in omnes congerendæ?

84 *E nihilo*] Ita & essentiæ formatæ ex nihilo factæ sunt, omnia enim ex nihilo creata, postea distinxit Deus. quemadmodum vniusmodi compositionem accipi velis, nisi simplicem, & homogeneam Naturam significes, non intelligo: atque tum simplicem naturam, rotundam, ex nihilo creatam, simplici compositione factam definis: atqui profectò compositio simplicitatem tollit, & Rotunditas nihil ad simplicitatis Naturam interpretandam confert: vt definitio hæc iterum tibi ad incudem reuocanda sit Scriboni, & accuratiore ingenio elaboranda.

85 *Formam*] Etiam propter formæ pariter ac materiæ dignitatem, inter quas nisi analogia quædam sit dignitatis, nunquam vna conuenient aut sociabuntur. Natura namque simili gaudebit tantùm, & materia instructa, & (antequam formæ desponsetur) præparatæ: quam nisi repererit comptam, & ornatam; prorsus refugit fastuosa forma.

86 *Ex aqua*] Per obscurius definis cœlum ex aqua, cuius (te ipso autore) doctrina, cœlo posterior est: & inter minus constantes Naturas numerata. Neque aquæ voce illam liquidam Naturam, cuius vsus est nobis quotidianus, notat Genesis historia, sed diuinius quiddam, & quod in Chao purissimum, & diuinis facultatibus instructum.

87 *Empyræum*] Non à luciditate empyreum dictũ, sed ab ignea Natura, vt nominis fert etymologia.

Mobilis]

88 *Mobilis*] Illa aquarum expansio, cœlum dicitur, eademque firmamento notatur, & vniuersum illud secundæ diei opus: tu verò (cœli machina in immobilem, & mobilem diuisa) alterum tantum mobile membrum firmamentum nuncupas.

89 *Orbis*] Non totus circumuoluitur tot horis, cum sphærę octo inferiores ex renisu proprio, exactum ambitum impediant: vnde tantum expleto circulo deficiat, quantum proprio motu contrario obliquè scandunt. Hìc tibi (Scriboni) cœlum mobile in orbes distinguendum fuisset. Et sphęris singulis motus suus ascribendus, cùm varię sint, neque tantum cœlum ab ortu moueatur, sed item in ortum, & pręterea premat.

90 Καθ'αὐτὸ] In falsum nil sancit lex Cathauto, (Scriboni) sed in id tantum, quod alterius disciplinę proprium, communicatur cum aliis. falsum autem Axioma, arguit lex κατὰ παντὸς, pręterea nulla. at, ais, quod falsum est, id nulla admiserit liberalis disciplina, & propterea sit heterogeneum. certè quod falsum est, nullius artis pręcepto continebitur, nedum liberali, neque propterea sit heterogeneum. quod namque huic heterogeneum foret, id alteri homogeneum esse est necessarium, & contrà. Quod verò nulli homogeneum est, id nec vlli heterogeneum esse potest, cum rerum pugnantium affectitiones sint, & alicubi subsistentium. Fictitij autem cœli orbes, nulli sunt, quod autem ne subsistit quidem, mallem Cerberum metuisses, quàm heterogeneum diceres.

Et hæc prima fuit species corporum constantium: sequitur de altero, videlicet de stellis.

91 *Stella est essentia constans in cælo posita, aliisque inde lucem præbens.*

92 *Lucidior interim alia stella est aliis ob puriorem vel impuriorem materiam.*

93 *Nec tamen ulla apparet aut lucet interdiu præter stellam Solis, reliquas maiore suo lumine obfuscantis.*

94 *Motus stellarum omnium vel simplex est vel varius,*

95 *Simplex est quando omnes stellæ ab occasu versus ortum simpliciter circumaguntur.*

Varius est quatenus motu suo trepido nunc Septentrionem, nunc Meridiem petunt.

96 *Et pro hoc diuerso motu atque positu diuersas etiam singulæ stellę virtutes & qualitates in inferiora cient.*

97 *Exerunt autem suas virtutes sydera vel per se singula, vel ob aliorum aspectum.*

98 *Aspectus ille syderum vel coniunctus est, vel oppositus.*

Coniunctus vel in eodem loco, vel in diuerso.

Coniunctus in eodem loco aspectus fit, cùm duę pluresue stellę in eodem cæli loco coniunguntur.

In diuerso loco qui contingit, vel propinquior est, vel remotior.

99 *Propinquior est Sextilis dictus, cùm stellę duobus signis distant.*

Remotior est tum quadratus, tum trigonus.

Trigonus est cùm quatuor signis stellę distant.

100 *Quadratus fit cùm stellę tribus signis à se inuicem distant.*

Oppositus aspectus fit cùm ex diametro sidera distant.

101 *Ortus verò itemq́; occaſus Poeticus qui dicitur, vel verus eſt, vel apparens.*

Verus iterum Coſmicus eſt, vel Acronychus.

102 *Coſmicus ſiue matutinus ortus, eſt ſtellæ alicuius cum Sole, vel paulò poſt eum, apparitio.*

Occaſus Coſmicus eſt ſtellæ infra Occidentem deſcenſio, Sole è regione illucente.

Acronychus, ſiue Veſpertinus ortus, eſt ſtellæ veſpertino tempore ſupra Orientem, Sole interim occidente, ſublatio.

Occaſus Achronychus eſt ſtellæ vnà cum Sole, vel paulò poſt eum, deſcenſio.

Acronycè igitur occidunt ſtellæ, quæ coſmicè oriuntur: quæ autem acronycè oriuntur, coſmicè deſcendunt: vnde verſiculi illi.

Coſmicè deſcendit ſignum, quod acronycè ſurgit:
Cronycè diſcendit ſignum, quod coſmicè pergit.

Apparens tum ortus, tum occaſus eſt Heliacus.

Heliacus ortus eſt ſtellæ, qua vicinis Solis radiis contecta erat paulò poſt Solem apparitio.

Occaſus Heliacus eſt ſtellæ, quæ poſt Solis occaſum in Occidente apparuerat, propter fulgorem eius propinquiorem, occultatio.

91 *Lucem*] Lunæ ſtella in ipſo cum Sole coitu, omnino nullam lucem aliis præbet. at verò (ait lex veritatis) artis vnumquodque axioma, ſemper, omnino, & neceſſariò, eſto verum: eſt igitur iſtud axioma anomalia explendum, nec aliter in Phyſica inſtituenda admittendum.

92 *Puriorem*] Luna cùm heterogenea materia conſtet, videtur omnium impuriſſima, quæ tamen ſecundum ſolem apparet luciſſima, ſi lucidum, quod plus luceat, interpreteris: neque ex materiæ puritate lucis copia pendet, ſed ex vicinitate nobis, &

& corporis mole, quibus aliis ſuperatis ſtellis, luna vltima cœlo, citima terris, vberiore lumine collucet. quid quod alterum luminare dicatur? ex quo lucidiſſimam, vbi à Sole ipſo diſceſſeris, vel oculorum ſenſu, fatearis neceſſum eſt.

93 *Apparet*] Etiam lunæ ſtella interdiu apparet, nec non ipſius Veneris. quantumuis harum lumen ſolis ſplendore obſcuretur, apparent nihilominus, & lumine repletæ; promptæ (cedente ſole) aduentantis, & vrgentis iam noctis tenebras fugare.

94 *Stellarum*] Non ſtellarum motus eſt, ſed orbiúm. Sin minus (tantis corporibus loco motis) quî vacuum fugeres, niſi arbitreris vt piſces mari, ſic cœlo ſtellas natare: quod omnino contra illam cœli ſoliditatem, quam initio aſſerueras, & illam vacui cautionem, quam totis viribus fugit Natura.

95 *Occaſu*] Etiam ſimplex eſt qui ab ortu in occaſum fertur: ſingulæ enim 24. horis ab occaſu in ortum totum cœli ambitum peragrant: exceptis illis minutis, quibus proprio motu ortum affectant ſingulæ.

96 *Singulæ*] Tria ſtellis inſunt: lumen, influentia, motus, per ſe ſine aliis perſiſtentia. Non ergo virtutes à motu, ſed ab influentia, quæ alia à motu exiſtit: motu verò pariter coeunt ſtellæ, ſiue ſeſe aſpiciunt: qui tamen aſpectus, non ſingularum ſtellarum virtutes expromet. Sed, prout ſeſê aſpiciunt, miſtarum & plurium.

97 *Aſpectum*] Non eſt aſpectus omnium ſyderum reciprocus, ſed Zodiaco tantùm comprehenſorum, neque eorum omnium, ſed planetarum tantùm, ſyderumque errantium. fixæ namque ſtellæ cum ſpacij diſtantiam eandem obtinent: eademque ſphæra

contineantur, ſeſe mutuo aſpicere nequeunt.

98 *Aſpectus*]Definiendus primum fuiſſet aſpectus (qui etiam videtur planetarum proprius, non aliorum communis:) atque tum partiendus in ſpecies.

99 *Signis*]Nil dum præcepiſti de ſignis, & aſtrologicum eſt, non phyſicum ſignorum doctrina vt & omnis circulorum, atque graduum cœli diſtinctio: nec ad rei Naturam, ſed potius ad computorum, atque temporis rationem tantum referendus, niſi alterum aſtrologiæ membrum futuri euentus prognoſticũ, huc referas: quarũ vtraq; phyſicâ poſterior eſt diſciplinâ. ergo per ignotius Sextilem, & deinceps reliquos loco diſtantes aſpectus tradis.

100 *Quadratum*]trigono præpoſuiſſes: niſi ſi forte librarij potius error ſit, quàm autoris.

101 *Poeticus*]Nil phyſicis interſunt (Scriboni) ortus ſyderum, vel occaſus, ſed tota illa doctrina, vel ad cõputum, vel ad aſtrologicam prędictionem referenda. quod rebus Natura ineſt, id ſpectat ſolũ phyſicus. Sydera autem, ad nos ortus & occaſus obtinét, non ſui ratione, qua in gyrum tantum voluuntur, ad terram autem vel Horizontem, oriri aut occidere dicuntur. Qui verò firmam & conſtantem prædictionem auſpicare velit, is non tantùm cœli fabricam ſpectabit, ſed omnino ſuperiora inferioribus, & contrà hæc illis componens, vniuerſam Naturæ œconõmiam diligenter, & attentè conſiderabit. Sed eſto phyſicum, qua tamen Methodi lege, qua tranſitione huc obrepſerit Poetici ortus, & occaſus, axioma? Sanè heterogeneum cum ſit, nullum ex methodi præcepto locum capeſſet: ſed importuniùs irruens, alio pellendum.

102 *Sole*]Feſtinandum lentè (Scriboni) non dum

ad

ad planetas peruentum eſt,nedum ad ſolé,ergo omnis inde petita doctrina obſcura, tenebras offundit, non in mediam lucem rem ipſam producit.

Hæc in genere de ſtellis earumq; motu: ſequitur de earum ſpeciebus.

Stellæ cœlorum, quæ numerari poſſunt, aut inerrantes ſunt, aut errantes.

103 *Inerrantes ſunt ſtellæ firmamenti, quæ quaſi immobiles inſenſibiliter propemodum mouentur: quo ſenſu fixæ dicuntur à tarditate motionis.*

104 *Septuaginta ſiquidem & duobus annis vnum ſolummodo gradum, cuius ſpacio quindecim milliaria Germanica reſpondent, motu ſuo conficiunt.*

105 *Et eandem interim omnes inter ſe & ab aliis ſingulis diſtantiam perpetuò retinent.*

106 *Cognoſcuntur porro hæ ſtellæ è ſua ſcintillatione. Scintillare autem videntur, quia oculi noſtri ab illarum claritate conſtricti in nobis tremebundi redduntur.*

107 *Stellarum eiuſmodi inerrantium corpora tam grandia ſunt, vt ſingulæ earum ſua quantitate terram ſuperent: & omnes quidem magnitudine, ſiue ordine ſextuplici.*

Primæ magnitudinis ſtellæ corpore ſuo totum terrarum orbem centies ſepties ſuperant cum vndecim ſexageſimis quartis.

Secundæ magnitudinis ſunt, quæ terram excedunt octogies ſepties.

Ad tertium ordinem pertinent quæ terra maiores ſunt ſeptuagies bis cum triente.

Ad quartum ordinem referuntur, quæ terram ſua mole excedunt quinquagies quater.

Quintum locum tenent ſtellæ terra maiores partibus triginta & vna.

Sextæ denique differentiæ ſunt terra maiores decies centies, & paulò amplius.

108 *Stellæ autem inerrantes, vel formoſiores ſunt, aut magis deformes.*

109 *Formoſiores ſunt, quę certa configuratione, aut certis imaginibus, quarum 48. obſeruatę ſunt, comprehenduntur.*

Et imagines iſtę vel in medio cælo ſunt, vel in extremo.

110 *In medio cælo ſunt, quę nominantur Animantia 12. vnde etiam locus Zodiacus dicitur:*

Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces.

ARIES *eſt primum Zodiaci ſignum 13. ſtellis Arietis imaginem reprę ſentantibus, conſtans.*

E quibus duę in cornu exiſtentes tertię ſunt magnitudinis: tres alię in cauda eius, & vna in poſterioris dextri pedis extremitate quartę ſunt magnitudinis.

TAVRVS *ſecundum ſignum eſt triginta duabus ſtellis Tauri effigiem conſtituentibus exornatum.*

Ex his quinque in fronte eius reliquis lucidiores hyades dicuntur, quòd pluuiarum ſint genitrices: quarum maxima oculus Tauri eſt pallicium ſydus. Septem verò in humero eius omninò quidem exiguę, ſed tamen ob propinquam coniunctionem conſpicuę Virgilię & Pleiades dicuntur.

Pleiades autem vocantur: quòd nauigationis tempus oſtendant. Verno enim tempore oriuntur, autumnali iterum occidunt: inter quæ tutiſſimum eſt nauigare.

Tertium in Zodiaco ſignum eſt GEMINORVM: *quod ſtellæ*

ſtellæ potiſſimùm efformant 18.

Huius imaginis ſtellarum in vtriuſque capite vna eſt clarior ſecundæ magnitudinis: altera verſus Orientem Pollucis vel Herculis nomine dicta: altera verſus Occidentem Caſtor, ſiue Apollo.

Aliæ quinque ſunt tertiæ magnitudinis.

Prima & ſecunda in duobus iliis eius, qui auſtralior eſt: tertia in ſiniſtro eiuſdem femore: quarta in pede eius ſiniſtro: quinta in dextri pedis extremo.

Quartæ magnitudinis ſunt duæ in humeris eius qui auſtralior eſt, & vna in eiuſdem latere dextro: duæ etiam in humeris Borealioris, & in eiuſdem ſiniſtro calcaneo vna.

CANCER *quartum ſignum eſt, nouem ſtellis quodammodo obſcurioribus conſtans.*

Stella Cãcri nebuloſa in pectore eſt, quæ Præſepe dicitur.

Reliquę omnes ſunt quartę magnitudinis: quatuor in medio corpore quadrilateram figuram Aſini conſtituentes: duę etiam in eius ore: altera verſus Septentrionem magis: altera verſus Auſtrum: duę denique in duobus pedibus.

Quintum ſignum eſt LEONIS *ſydus lucidum, 27. ſtellis illuſtratum.*

Ex huius ſtellis pręcipuę ſunt decem ſequentes: duę nimirum primę magnitudinis, quarum altera eſt in corde eius: altera etiam ſplendida in caudę extremitate.

Secundę magnitudinis tantùm eſt, quę medium colli locum tenet.

Tertię magnitudinis ſtellę ſunt in Leone: duę in capite eius: duę etiam in collo eius: quinta in ſiniſtra iliorum parte: ſexta ſuper ſiniſtrum femur: ſeptima in ipſo femore ſiniſtro.

Prope caudam etiam Leonis alię ſeptem ſtellę ſunt, quas Comam Berenices vocant.

Sexto occurrit VIRGO *alata 26. ſtellis conformata: quarum vna præ cæteris ſplendida in ſiniſtra manu Spica virginis dicitur, primæ magnitudinis eſt.*

Tertiæ magnitudinis ſunt ſex,

Prima in ſiniſtræ alæ exortu: ſecunda in eiuſdem extremitate: tertia & quarta in duobus cincturæ eius lateribus: quinta in dextro femore: & ſexta in pede qui magis ad Boream ſpectat,

Quartæ magnitudinis duæ ſunt: vna in tibia Virginis dextra: altera in ſiniſtro pede.

LIBRA *ſequitur, ſtellis octo exornata: è quibus illuſtriores ſunt ſequentes,*

Duæ ſecundæ magnitudinis: quarum altera eſt in parte oris ſeptentrionali: altera in eiuſdem parte auſtrali.

Item quatuor ad quartum ordinem pertinentes: duæ nimirum in medietate duarum chordarum, quibus lanx auſtralis ſuſpenditur: duæ itidem in initio chordarum, quibus lux ſeptentrionalis ſuſtinetur.

SCORPII *imago 21. ſtellis conformata eſt: ſed 14. ſolummodò magis conſpicuis.*

Ex iis cor Scorpij, media videlicet illarum trium, quæ in pectore eius conſpiciuntur, ſecundæ magnitudinis eſt.

Tredecim reliquæ ſunt tertiæ magnitudinis: tres in fronte eius: duæ in medio corpore: duæ etiam in cauda, altera in principio, altera in extremitate eius. Sex deinceps in ſex ordine diſpoſitis caudę ſpondylis.

SAGITTARII *ſignum ſequitur ſtellis 31. conſtans.*

E ſtellis Sagittarij duodecim ſplendidiores ſunt: & quidem duæ ſunt ſecundæ magnitudinis: vna in ſiniſtro genu parte anteriore: altera in calcaneo ſiniſtro eadem parte.

Reliquæ decem tertiæ ſunt magnitudinis.

1 *In ferrato ſagittæ acumine.* 2 *In ſiniſtra manu.*

3 In parte acus auſtrali. 4 In parte eius Septentrionali. 5 In ſiniſtro humero. 6 In latere ſiniſtro. 7 In dextro calcaneo pedis anterioris. 8 In poſteriore parte pedis dextri. 9 In tibia ſiniſtra pedis poſterioris: & vna in iis, quæ in cauda exiſtunt.

CAPRICORNVS *ſequitur 18. ſtellis depictus: quarum conſpicuæ magis ſunt 12. ſequentes.*

Tertiæ magnitudinis octo: duæ in cornu altero: tertia in ſiniſtro genu: quarta eſt vna è duabus quæ ſunt ſub ventre: quinta & ſexta in caudæ principio: ſeptima in media cauda: vltima in eius extremitate.

Quartæ magnitudinis ſunt: vna in pectore: duæ in ſpina dorſi, & altera è dictis duabus, quæ ſunt ſub ventre.

AQVARIVS *eſt vndecimum Zodiaci ſignum, ſtellis 42. hominis aquam ex amphora effundentis effigiem referentibus conſtans.*

E ſtellis autem Aquarij ſequentes tantummodò decem clariores conſpiciuntur.

Vna primæ magnitudinis ſplendida in extremo aquæ effuſæ.

Reliquæ nouem ſunt tertiæ magnitudinis: duæ in amphora ſiue vaſe: altera in orificio: altera iuxta fundum: aliæ duæ in duobus humeris: quinta in cubito dextro: ſexta & ſeptima ex iis quæ ſunt in manu ſiniſtra: octaua in tibia dextra: nona denique vbi aqua effunditur.

PISCIVM *imago in Zodiaco eſt ſignum 34. ſtellis, Piſces coniunctos exprimentibus, exornatum.*

Ex harum numero lucidiores ſunt 9. tres videlicet tertiæ magnitudinis: vna in ore Piſcis auſtralis: duæ in ligamine Piſcium iuxta nodum, quo Piſcis borealis cauda ſeiungitur.

Quartæ magnitudinis ſũt reliquæ: prima in dorſo Piſcis auſtralioris: ſecunda in ventre eius: tertia in cauda: quarta

in medio eius ligamenti; 5. in ventre Piscis borealis: vltima in eius dorso.

103 *Tarditate*] Non à tarditate motus appellantur fixæ, sed quia vni sphæræ singulæ infigantur, cuius motus omnis est, non stellarum ipsarum: quæ per se mobiles si sint, fixæ appellari nequeunt: atque si diligentius paulò aduertas animum, senties fixarum motum celerrimum esse ab ortu in occasum, cùm & circunferentiæ, & primo motori propior est harum Sphæra, & pari tempore longe maximum spacium coficiat. sin verò de motu ab occidente in ortum intelligi velis, cùm nullam huius motionis mentionem antè feceris: laborabit hîc Physicus discipulus, nec habuerit quò huius motus tarditatem hanc referat.

104 *Gradum*] Motus non interturbat distantiam; eandem tamen obtinere inter se difficilè admodum probaueris. Sin vero eandem, id est, constantem intelligas, cùm non vt Planetæ vagentur, nec sibi mutuo occurrant, nec sese aspiciunt, neq; ita impropriũ sermonem fugias, cùm omnino distantia hęc, non ex motus momẽtis, sed ex loco cui infixæ hæreant stellæ pendeat: quem ideo amittere non possunt.

105 *Eandem*] Gradus doctrina est astronomica, & physica posterior, neque tu (non dum tradita huius definitione) ex gradibus, claram motus doctrinam elicere potes. Physicus enim non respicit gradus, sed circularem motum in ortum, & reliquis tardiorem, & ex numero circularis motus in occasum metiendum. vt enim Natura nec possessionum limites describit, nec sepibus aut muris cingit, nec in areas distinguit agros, sed agricolæ industriæ relinquit, quo & vberiorem frugem, & lætiores prouen-

prouéctus cultura percipiat; ita cœlum à natura proponitur nudum; ad computus autem rationem, & ad futuri prædictiones, in gradus, in circulos, in latum Zodiacum distinctis partibus, astrologo describendum: quo & temporis ratio constet, & de tempestatibus, de fertilitate, de futura cœli terræque spe coniectura fiat: atque ita (mea sententia) physica ab astronomia siue astrologia foret Physico Doctori distinguenda.

106 *Claritate*] Non quia clariores, cùm nec Sol ipse clarissimus, nec Veneris, nec Martis stella fulgidissima, scintillat.

107 *Terram*] Nondum ad terræ physicam peruéctum est, neque ex posteriore quicquam in artibus, & scientiis præcipiendum. Superare autem mole terram, etiam cum Sole commune est: neq; propterea vt fixarum propria affectio, docendum.

108.109 *Formosiores*] Nihilo sunt stellæ formosiores, quòd certis asterismis comprehédantur, nec deformiores extra has positæ: neq; eiusmodi iam temporis apparent configurationes; disparuerunt nunc si vnquam apparuerint: & eiusmodi omnis imaginibus stellarum comprehensio astrologica, non physica est, cùm non ex natura, sed ex arte pendeat astronomi, astrorum motibus diuersis obseruatis, ad hos ipsos cœlum variè radio describendis.

110 *Medio*] In globo vbique circumferentiæ medium est: sin autem Polorum mũdi ratione medium statuas, nec Zodiacus vbique medius est, cum pars altera australis, altera septentrionalis sit. Ergo cui extremorum medium, explicandum fuisset: videlicet polis suis. *Zodiacus*] Melius dodecatemoriis distinguitur, quàm hisce imaginibus, quæ ita loco mo-

tæ

tæ ſunt, & orientem affectarunt, vt fere omnis Arietis ſtellæ, in Tauri Dodecatemorio conſiſtant: & Libra, in Scorpionem conferatur. *Zodiacus*] Altero membro ſtellarum fixarum deformi omiſſo, diſcipuli expectationem fallis: (Scriboni) nam vtcunque ex formoſis ſideribus intelligãtur; tamen definitionem ſuam (cùm naturæ partes ſint) iure poſcunt.

Adhuc de imaginibus ſtellarum in Zodiaco: ſequitur de aliis, quæ ſunt in extremitate cœli, vltra videlicet citraq́; Zodiacum.

IMagines ſtellarum vltra citraq́; Zodiacum, vel Aquilonares ſunt, vel Meridionales.

Aquilonares ſunt, quæ Septentrionalibus hominibus cõſpiciuntur.

Eiuſmodi notantur Cynoſura, Helice, Draco, Boetes, Corona Ariadnes, Hercules, Cepheus, Lyra, Gallina, Caſſiopeia, Perſeus, Heniochus, Serpens, Serpentarius, Sagitta, Aquila, Delphinus, Pegaſus, Equiculus, Andromeda, Triangulus.

CYNOSVRA *ſiue Vrſa minor eſt ſignum ſeptem ſtellis, ſuo cõplexu figuram plauſtro ſimilem depingentibus, cõſtans.*

Stellæ huius omnes nobis ſunt ſemper conſpicuæ.

Ex iis quinque plauſtrum ipſum referũt: reliquæ duæ bobus trahentibus aſſimilantur.

Vna in caudæ extremitate: duæ in ſiniſtro humero: itẽq́; duæ in cauda: altera in initio: altera in medietate: & reliquæ duæ verſus ſiniſtram aliorum partem.

HELICE *ſignum eſt Aquilonare 27. ſtellis Vrſæ maioris effigiem referentibus conformatum: quarum conſpicuæ magis ſunt 12.*

Harum

Harum secundæ magnitudinis sunt sex: prima in dorso, & quidem in ipso angulo figuræ quadrilateræ: secunda in ilio: tertia in sinistro femore: tres autem reliquæ in caudæ principio, medio & fine sunt.

Tertiæ magnitudinis itidem sex sunt: una earum quæ in posteriore parte dextri pedis sunt: quatuor in pede sinistro, quarum vna ad dextram: altera in parte anteriore: reliquæ in reliquis partibus elucent: ultima denique prope initium caudæ.

DRACO, *siue Anguis, inter Vrsas sinuoso flexu prostratus continet stellas* 31.

E quibus lucidiores sunt 13. *ordine sequentes: octo nimirum magnitudinis tertiæ: una in extremo capite: altera supra dextrum oculũ: tertia in arctiore parte ventris: reliquæ autem quinque in cauda eius.*

Quartæ magnitudinis quinque sunt: tres nimirũ in collo, secundum rectitudinem sitæ, & duæ in ventre.

BOOTES *est signum Septentrionale, prope Vrsam utranque* 22. *potissimum stellis constans.*

Hunc quasi digito monstrat cauda Vrsæ maioris.

Stellæ autem eius insigniores sunt 11. *una primæ magnitudinis inter utrunque femur, quæ eximiè splendida propriè Arcturus dicitur.*

Quatuor magnitudinis tertiæ sunt: quarum prima supra sinistrum humerum est: secunda in media spina dorsi: tertia in dextro femore iuxta genu, & alia in sinistro calcaneo.

Quartæ magnitudinis sex sunt: una in capite: altera supra dextrum humerum: tertia sub sinistro brachio: quarta in medio clauæ quam manu tenet: & alia in eiusdem fine: & vltima in cinctura.

CORONA ARIADNES, *imago est Septentrionalis octo stellis instar semicirculi condecorata: quarum illustriores sex sunt.*

Secundæ

Secundæ magnitudinis vna omnium ſplendidiſſima.

Quartæ magnitudinis ſunt aliæ quinq;:nempe duæ iuxta ſplendidiſſimam: ex vtraque parte videlicet vna: tres aliæ in altera tantum parte ordine ſequentes.

HERCVLES *ſydus eſt Septentrionale ſextum, 28. ſtellis conſtitutum. hic in genua curuatus per caudam Draconis ad æquatorem abeunti ſit obuiam.*

Ex ſtellis eius potiſſimum notantur tertiæ magnitudinis ſex numero.

Vna in capite: duæ in humeris: item vna in dextro brachio, & talis in dextro latere: vltima deniq; in coxa ſiniſtra.

Quartæ magnitudinis ſunt quinque aliæ: vna è tribus in ſiniſtra manu, quia pellem Leonis tenet: duæ in coxis, dextra & ſiniſtra: Vna etiam in genu ſiniſtro: & alia denique in dextri pedis extremitate.

CEPHEVS *imago quadantenus obſcura, prope Cynoſuram & Draconem ſtellis vndecim conſtans: quarum magis conſpicuæ numerantur 8.*

Tertiæ magnitudinis vna ſupra dextrum humerum.

Quartæ magnitudinis ſunt reliquæ 7. vna in pileo: duæ circa dextrum cubitum: altera videlicet ſupra, altera verò infra eum: item vna in ſiniſtro brachio, & alia in cinctura prope ſpinam dorſi: duæ etiam aliæ in pedibus, dextro & ſiniſtro.

LYRA, *quæ etiam Vulturis cadentis effigie notatur: ſidus eſt in cœlis Septentrionale, decem ſtellis ornatum.*

Ex his primæ magnitudinis eſt ſplendida illa in initio, quę ſola etiam Lyrę nomine dicitur.

Tertię magnitudinis ſunt duę è quatuor illis, quę in dorſo Lyrę apparent.

Quartę magnitudinis ſeptem ſunt: duę iuxta ſplendidã: item duę reliquę in Lyrę dorſo: vna inter Lyrę chordas: & duę aliæ in eius extremitate.

GAL-

GALLINA, quæ etiam Cygni nomine dicitur, est nonum signum Aquilonare, stellis septendecim conspicuum: è quibus splendidiores sunt undecim.

Secundæ magnitudinis una illustrior in cauda eius existens.

Tertij ordinis quinque sunt: una in capite, duæ in alis: in singularum videlicet flexu una: & alia quoque in sinistræ alæ extremitate: ultima denique in pectore.

Quarti ordinis itidem quinque sunt: una in medio collo: altera in dextræ alæ extremitatibus: duæ in pedibus, in utroque una.

CASSIOPEIA imago est decima Septentrionalis, sedili resupinato incumbens capite: & stellis 13. conformata.

E stellis autem istis clariores sunt octo.

Tertiæ magnitudinis quatuor: in renibus, in dextro lumbo iuxta sedile, in medio sedili, in sinistro genu.

Quartæ magnitudinis totidem: una in capite: altera ubi sedili innititur: tertia in sinistro brachio: quarta in altero pede.

PERSEVS imago est undecima, stellis nouē decima condecorata. E quibus decem sunt præ cæteris insigniores.

Secundæ magnitudinis duæ: una splendida in dextro latere: altera insignis illa in capite Medusæ, quod Perseus sinistra manu tenet.

Tertiæ magnitudinis sunt quinque: una in humero dextro: altera est una è tribus in dextro latere: tertia in sinistro genu: quarta in sinistro calcaneo: ultima in sinistri pedis extremitate.

Quartæ magnitudinis tres aliæ: una in capite: altera in dextro genu: & tertia propè splendidam in capite Medusæ.

HENIOCHVS Pegasi pedibus subiectus, imago est aurigæ in sinistro humero capram gestantis, tredecim stellis lucens.

E stellis

E stellis eius sequentes decem sunt præcipuæ.

Primæ classis est illa sinistri humeri, quæ Capra dicitur

Secundæ magnitudinis est alia in humero sinistro.

Tertiæ sunt: una in dextro cubito: duæ in duobus calcaneis.

Quartæ magnitudinis quinque sunt: una ex iis quæ sunt in capite: duæ in manibus, videlicet in dextra & sinistra manu una: & alia in sinistro cubito.

SERPENTARIVS, *siue Ophiuchus est imago AEsculapij, suis manibus serpentem tenentis: vigintiquatuor stellis conspicua.*

Stellæ huius insigniores sunt duodecim.

Tertiæ magnitudinis sex sunt: una in capite: duæ in sinistra manu: item in sinistro femore: deinde tum in genu dextro, tum in calcaneo dextro una.

Quartæ classis totidem: nimirum una è duabus in dextro humero: duæ in dextra manu: item una è duabus in sinistro humero: & alia ex iis quatuor, quæ sunt in dextro pede: ultima denique in sinistri pedis planta.

SERPENS *ab AEsculapio dependens est eiusdem nominis animal* 18. *stellis notatum.*

In Serpente decem stellæ sequentes sunt præcipuæ.

Quinque tertij ordinis: quarum una est in initio capitis: duæ in initio colli: totidem denique in primo serpentis flexu.

Quarti ordinis itidem quinque: una in dextro oculo: altera in caudæ flexu: item una post dextram manũ, qua cauda inflectitur: reliquæ duæ iuxta caudæ extremitatem.

SAGITTA *est imago telum referens: quinque stellis prope Aquilam conspicua.*

E stellis eius una est quartæ magnitudinis, in ferreo sagittæ acumine.

Reliquæ sunt quintæ magnitudinis: una videlicet priori vicina

vicina: altera in media ferri longitudine: tertia ad eius finem: quarta in extremo illius qua parte chorda impellitur.

AQVILA signum est effigiem aquilæ auis repræsentans: sex stellis illustratum.

Stellarum eius vna est secundæ magnitudinis in colli principio.

Tertiæ magnitudinis quatuor sunt: in sinistra ala: in collo: prope splendidam in dicta ala: item in cauda: vna denique in capite eius quartæ magnitudinis conspicitur.

DELPHINVS eodem in loco decem stellis configuratus apparet: è quibus septem tantum sunt notiores.

Tertiæ magnitudinis quinque: quarum quatuor in capite, & vna è tribus illis, quæ in cauda sunt.

Quartæ classis, reliquæ duæ in cauda eius existentes.

PEGASVS est signum viginti stellarum, configuratione equi alati imaginem referens.

Duodecim verò stellæ in eo reliquis clariores sunt.

Secundæ magnitudinis: vna in vmbilico: & duæ in ala dextra: altera videlicet in summitate eius: altera in extremitate.

Tertiæ magnitudinis: in dextro genu: item in humero dextro, & in collo vna.

Quartæ sunt sex: vna supra dextrum oculum, & similis in ore: duæ in pectore eius coniunctæ: reliquæ in vtroque calcaneo singulæ.

EQVICVLVS est imago minoris equi, quatuor stellis nubilosis expressa.

ANDROMEDA signum est vigintitribus stellis conspicuum.

Stellæ eius illustriores sunt duodecim: octo nimirum tertij ordinis: quarum duæ sunt in duobus humeris: vna iuxta dextram manum: itemq; vna in cubito sinistro: tres in cingulo: & vna denique in pede sinistro.

Reliquæ

Reliquæ quatuor ſunt ordinis quarti: quarum tres in manu dextra ſunt: & vna in calcaneo dextro.

TRIANGVLVS *eſt imago triangularis quatuor ſtellis notata.*

Stellæ eius tres in tribus angulis ſunt tertiæ claſſis: quarta ſtella, quæ eſt in media baſi, eſt etiã quartæ magnitudinis.

Adhuc de imaginibus cœli in parte Aquilonari: ſequitur de Meridionalibus.

MERIDIONALES *cœli imagines ſunt, quæ in plaga mũdi Auſtrina antipodibus noſtris potiſſimũ apparẽt.*

Eiuſmodi numerãtur quindecim: Cetus, Orion, Eridanus, Lepus, Sirius, Procyon, Argo, Hydra, Crater, Coruus, Centaurus, Lupus, Ara, Corona Auſtrina, & Piſcis maior.

CETVS *eſt ſignum Meridionale vigintiduarum ſtellarum configuratione, ceti marini figuram oſtendens.*

E ſtellis autem Ceti lucidæ magis ſunt tredecim: quarum vna eſt ſecundæ magnitudinis: quæ quòd in medio ſit, venter Ceti vocatur.

Tertiæ verò, nouem ſequentes: vna in ore eius: duæ in dextra maxilla, & vna in dorſo: duæ etiam in cauda, ac totidem propè eam: vltima denique ex illis, quæ quadrilateram figuram exhibent.

Quartæ magnitudinis ſunt tres reliquæ in quadrangulari figura.

ORION *eſt imago trigintaocto ſtellarum poſitu, virum in lumbis zona cinctum exprimens.*

Stellæ autem eius notiores ſunt duodecim: quarum duæ ſunt primę magnitudinis: altera in dextro humero aliquantulum rubra: altera in ſiniſtri pedis extremitate paulò ſplendidior.

Secundæ

Secundæ magnitudinis ſunt: tres ſplendidæ in cingulo, & vna in ſiniſtro humero.

Tertiæ autem ſunt, quatuor in clypeo eius poſitæ: vna etiam in manubrio ipſius gladij: item vna in eiuſdem extremitate.

ERIDANVS *figura eſt trigintaquatuor ſtellarum inſtar fluuij eiuſdem nominis, quem hodie Padum vocant, diffluens.*

Lucidiores Eridani ſtellæ ſunt 10. primæ videlicet quantitatis vna in fine fluminis ſplendida.

Tertiæ ſunt ſeptem: vna in fluuij initio, & vna in media eius longitudine, non procul à Ceti pectore: tres in tertia eius parte. Similiter etiam illa quæ in eiuſdem inflexu Ceti pectus tangit: & denique vna finem propemodum fluuij.

Ad quartum ordinem refertur, quæ inter ſtellas in tertia fluuij parte poſitas quarta eſt.

LEPVS *ſignum eſt cœli Meridionale, duodecim ſtellis clarum.*

Stellæ autem in hoc lucidiores ſunt octo: duæ tertij ordinis: quarum altera eſt in medio Leporis ventre: altera verò ſub ventre.

Quarti autem ordinis ſex numerantur: prima in ore leporis: ſecunda in altero iliorum: tertia in crure ſiniſtro poſteriore: duæ ſequentes in ſiniſtro pede: quarum altera eſt in parte anteriore, altera in poſteriore: vltima autem in eius cauda.

SYRIVS *eſt aſtrum cœli Auſtrale ſtellis octodecim, Canis maioris effigiem referens.*

Splendidiores autem huius ſtellæ ſunt octo ſequentes:

Primæ magnitudinis eſt vna in ore eius lucidiſſima.

Tertiæ autem ſunt quatuor: prior in ventre eius inter poſteriora femora: altera in cauda: duæ reliquæ in pede dextro: anteriore & poſteriore partibus.

Tres reliquæ ad quartam magnitudinem referuntur: duæ in collo, & vna in spina dorsi.

PROCYON *est imago Caniculam referens, in Meridie, duabus stellis ornata.*

Harum vna est primæ magnitudinis, in scapula eius admodum splendida: altera quartæ magnitudinis, in collo.

ARGONAVIS *signum cæli est, 45. stellis lucens: quarum clariores sunt* 18.

E stellis istis altera in remo Australi, quam propriè Canopum vocant, est primæ magnitudinis.

Secundæ autem sex sunt: duæ splendidiores in malo nauis, & vna in ipso corpore: duæ etiam aliæ in carina, & vltima in sponda.

Tertiæ insuper sunt vndecim: nempe in medio remo Septentrionali: in remo Australi, & inter vtrunque istum remum vna: duæ in fune quo antennæ ad malum alligantur: item in media naui: & in puppi totidem: ac denique duæ in carina, quarum altera non procul est à prora.

HYDRA *imago est Meridionalis, stellis vigintiquinq; Serpentem referens.*

Stellæ huius syderis præ cæteris conspicuæ sunt quatuordecim.

Vna secundæ magnitudinis in primo hydrę flexu, non procul à collo.

Tertiæ verò magnitudinis decem videntur: nempe in summo capite: supra sinistrum oculum: in naso: in maxilla: in ore: in singulis videlicet hisce partibus vna: deinde duæ in initio colli: & totidem in tertia fere eius parte post primum flexum: vltima in caudæ extremitate.

CRATER *est imago poculum bibendo idoneum referẽs, eaq; septem stellis expressa.*

Et omnes istæ stellæ sunt quartæ magnitudinis: quarum priores duæ videntur in ansa eius: vna deinde in ex-

tremo margine: similiter in pede, super quo locantur, duæ sunt.

CORVVS *est sydus septem quoque stellis lucidum.*

Ex iis tertiæ magnitudinis quinque conspiciuntur: nempe in capite, in rostro, in ala dextra, in sinistræ alæ exordio: in pede altero.

Vna autem quartæ magnitudinis est in sinistræ alæ extremitate: vltima minus splendida est.

CENTAVRVS *Chiron est imago triginta septem stellis conspicua.*

Pulchriores autem eius stellæ sunt 14.

Prioris magnitudinis est tantum splendida illa in priore parte dextri pedis.

Aliæ quinque sunt secundæ classis.

Vna in extremitate corporis humani: reliquæ in pedibus: duæ nimirum in posteriore pedum parte, dextri & sinistri: & totidem in dextri calcanei parte anteriore & posteriore visibiles.

Tertiæ magnitudinis stellæ tres sunt: duæ in duobus humeris, & vna in dextro brachio.

Quartæ insuper classis quinque conspiciuntur: quarum vna in capite est: item in medio dorso: & sub sinistro humero vna: duæ etiam in sinistra manu.

LVPVS *ex Lycaone transmutato ortus, imago est stellis nouemdecim configurata: quarum splendidiores sunt tredecim sequentes.*

Tertiæ magnitudinis, vna in ventre: item vna in dextro crure posteriore: tertia in posteriore parte dextri pedis.

Quartæ magnitudinis decem sunt: quatuor in capite eius, quadrangularem figuram constituentes: vna in humero sinistro: & similis in spina dorsi: duæ insuper in cauda lupi: atque duæ in priore pede sinistro.

ARA COELI, *siue Altare, septē stellis exornata lucet.*

 E quibus

E quibus ſex ſunt quartæ claſſis: vna eſt in medio fere altari: item vna in eius fundamento: tres in medio igne: vna etiam in ſummitate ignis.

Vltima denique eſt quintæ magnitudinis in primo altaris gradu.

CORONA *Auſtralis, quæ Bacchi quoque nomine dicitur, eſt imago tredecim ſtellarum: è quibus ſeptem inprimis lucent.*

Nempe quartæ magnitudinis quinque: quarum vna eſt in medio arcu Boreali: vna item in principio arcus Auſtralis, & quæ hanc ſequuntur verſus Auſtrum tres reliquæ.

Quinti inſuper ordinis ſunt duæ aliæ, quæ eidem in medio Auſtrali arcu poſitæ ſuccedunt.

PISCIS AVSTRINVS, *qui Syriæ populorum Deus habitus fuit, ſydus poſtremum eſt, duodecim ſtellis condecoratum, quæ omnes, tantùm exceptis duabus, ſunt illuſtres.*

Vna in ore eius ſplendida primæ magnitudinis: tertiæ itidem vna, quæ ſtellam prope caudam ſequitur.

Quartæ autem claſſis ſunt octo: vna in ſummo capite: item in maxilla: duæ aliæ in ore iuxta ſplendidam primam: adhuc vna in dorſo, & quæ hac ipſa in ſpina dorſi ſuperior eſt: item in cauda Piſcis, & prope eam alia.

Hucuſque de inerrantium, ſiue fixarum ſtellarum imaginibus: ſequitur de Planetis, ſiue ſtellis errantibus.

PLANETAE *ſunt ſtellæ in citeriore cælo, varium inter ſe motum conficientes: quo ſenſu Latinè errantes dicuntur.*

III *Varietas iſta motionis præter aliarum ſtellarum curſum accidit: quòd in paribus cæli, quæ ſingulis planetis attributæ ſunt, ſeſe circulariter mouentes fiant vel Statio-*

narij

narij in abside in primis tum summa, tum ima: vel etiam Retrogradi.

Stationarij sunt planetæ, quando ad definitum aliquem terminum venientes, sui corporis ad aliam partem conuersione cursum inhibent, ideóque immoti quasi subsistere videntur.

Absis, siue Aux summa, est locus globi planetarum supremus: ad quem si moti fuerint, altius ascendere nequeunt: & à terris sunt remotissimi. vnde etiam Apogæon dicitur.

Absis, siue Aux ima, est locus è contrario prioris infimus: ideoq́; nobis propinquissimus: quare & Perigæon vocatur.

Retrogradi fiunt planetæ, cùm se rursum à statione commouentes non progrediuntur eò, quò prius intenderant: sed partem aliquam confecti itineris retro legunt.

112 *Virtutes planetarum, quæ æquè variæ sunt atque motus eorum, fortiores omnino fiunt, tum in propria domus inhabitatione, tum in coniunctionibus: secus verò minutiores.*

Domus propria singulorum planetarum hîc intelligitur illud signum Zodiaci, in quo primò omnium in vniuersali creatione singuli, secundum Astronorum determinationem, conditi sunt.

Et hisce generaliter præmissis, sequitur sigillatim de singulis.

Stellarum verò errantium aliæ eodem & constante splēdore lucent: aliæ diuerso.

Eundem spendorem obtinentes mouentur cursu vel impari, vel pari.

Impari cursu mouentur stellæ errantes: quarum singulæ proprium motionis obseruant.

Eiusmodi planetæ sunt superiores: Saturnus, Iupiter & Mars bellicosus.

Horum coniunctio vel communis est, vel specialis.

Communis est, quando tres illi simul in aliqua facie aut termino coniunguntur. vulgò dicitur, Coniunctio maxima.

113 *Hæc propter tarditatem motus portendit res maximas, & omninò mirandas · & Sole præsertim eos aspiciente regnorum quorundam & climatum destructionem, & eiusmodi alia.*

Et sigillatim si eiusmodi cõiunctio fiat in signo aliquo Zodiaci igneo, denotabit vehementiorem siccitatem.

Si in signis fiat aqueis, multitudinem pluuiarum arguit. In aëreorum aliquo, significat vẽtorum impetuosam copiam.

In terrenis autem superfluitatem frigoris præostendit: ac denique in masculinis detrimẽtum masculorum animantiũ: in fœmininis contrà fœmininorum noxam significat.

114 *Specialis porrò eorundem coniunctio est tum media, tum extrema.*

115 *Media est Saturni & Martis: significãs bella, dissidia, & contentiones regum præcipuè, & ducum: & in his quidem prosperum successum, si dominans in eorum coniunctione sit bonus: sin verò malus, impedimentum atque perniciem.*

Extrema eorum coniunctio vel maior est, vel minor.

Maior est Saturni & Iouis, quæ sectas nouas aliaq; accidentia arguit. Et si Iupiter fuerit fortior, bonum erit: sin verò Saturnus, detrimentum & tribulationes, adeoq; maxima discordia indicatur.

116 SATVRNVS *proinde est stella plumbei coloris, 30. primùm annis cursum suum absoluens.*

117 *Planeta est masculinus diuturnus, frigidæ atq; siccæ, vel etiã humidæ naturę, ideoq; melancholicus: sed malus, & non admodum fortunatus. cuius propria domus est in Capricorno & Aquario.*

118 *Regit itaque complexiones melancholicas, & inde ortos morbos eiusdem naturæ: item phlegmaticos viscosos, iterúmque congelatos: videlicet lepram, cancrum, morphæam, &c.*

Si autem dominetur in domo propria, facie & gradu debito: vtilissima contra istas infirmitates fieri possunt experimenta.

119 *Principatus eius in conceptione hominum elucet, tum in primo mēse, tum multò magis iterum in octauo: quāobrem raro qui in hoc mense editur fœtus, propter malignitatem & frigiditatem Saturni, viuere diu potest.*

120 *Genitorum verò vitam gubernat, maximè in fine eorum, quando frigidi & pituitosi sunt senes.*

IVPITER *est stella errans lucida,* 12. *annorum spatio circulum suum percurrens.*

Luciditas huius tam insignis est, vt etiam vmbram de se spargat, præsertim in Perigæo: vnde etiam Phaeton à splendore dicitur.

Planeta est etiā masculinus calidæ & humidæ naturæ, eiusque benignioris; domos habens in Sagittario & Piscibus.

Dominium præcipuè obtinet in sanguineos, in iuniores, in lætitiæ operationes: ideoq; etiam in infirmitates vniuersas, è sanguine minùs tamen adusto genitas.

Et si ritè in sua domo dispositus sit, tum sub dominio eius ad prædictas affectiones optima quæque remedia colligi possunt.

Sub huius etiam potestate homo est in vtero matris, tum in secundo mense, tum magis iterum in nono: ideóque tum temporis genitus plurimum vitalis est: eò quòd Iupiter quoque vegetantis virtutis origo sit.

MARS *stella est in ordine errantium tertia, colore rutila siue flammea, duobus annis suum cursum conficiens.*

Planeta

Planeta itidem hic eſt maſculinus : vehementer calidæ quaſi vrentis & ſiccæ naturę; ideoq; quodammodo malignus, & infortunatus eſſe conſueuit : domos proprias habens, Arietem & Scorpium.

Vires ſuas prædominantes potiſſimum exerit in cholericos, & feruidum motum iuuentutis, in bella & ſeditiones.

Itaque ſi bene poſitus ſit in ſuo dominio, facie & gradu conueniente, ad phreneſin, ad febres, & præcipuè cauſona aliaſq; affectiones ardentes curãdum vtiliſſima remedia fieri & colligi poſſunt.

Hominem in conceptione præcipuè regit menſe 3. vitam deinde eius diſponens circiter annum maximè 40. aduſque 50, & vltrà. Eſtq; virtutis in homine iraſcibilis origo.

111 *Partibus*] Omnis planetæ ſtatio, vt & retrogradatio, eſt reſpectu motus epicycli, non propriæ Sphæræ: Sol autem epicyclum nullum habet, & propterea nec ſtationem, nec gradationem retro. Quod ſi ita ſit, atque varietas iſta motus ex circulo illo pendeat, nec ipſe Sol inter planetas foret numerandus. Tu verò nullam epicycli doctrinam tradens, per obſcurius planetarum errores interpretaris. *Seſe*] Cùm varietas ſecundarij motus planetarum, ex circulis excentricis, & concentricis pendeat, & partes Sphærarum conſtituat, ſinguli horum globi in membra partiendi fuiſſent: tum motus varius inde eliciendus. Sin autem ſimplicis corporis ſimplicem tantùm motum eſſe teneas, cum cæteris rei phyſicæ authoribus, nulla alia arte diuerſos motus, & peruagantium rationes, quàm ita conſtitutis globi partibus, expedieris.

112 *Domus*] Eſt iſta omnis aſtrologica, non phyſica, ex domo, & aſpectu influentia : quod namq; phyſicum foret, id ſemper inerit, & neceſſariò, nec alio

euentu

euẽtu orietur, at verò aſpectus ad aliud relationẽ obtinent: ergo quod inde naſcitur, phyſicis eſt alienũ.

113 *Motus*] Non ob tarditatem motus miranda portendunt; ſed quia, excepto ſole, coeunt planetarum maximi, & ſummis virtutibus præditi. Nam vis non ex motu oritur, ſed fluit ex ipſa planetæ natura. *Regnorum*] Quos deinceps doces, euentus, aſtrologici ſunt, non phyſici, & ex naturarum collatione nati: neque enim dum de pluuiis præcepiſti, nec ventorum recondita antra aperuiſti nobis, vt nec de maſculis, aut fæmellis accepimus, vtpote poſterioribus ſingulis.

114 *Coniunctio*] Coniunctiones hæ communi abs te dictæ priores ſunt: communis enim ex ſpecialibus conflatur, tanquam totum integrale ex membris: membra autem integro priora ſunt, vt huic eſſentiam præbentia. hæc enim toti inſunt, non totum membris, proptereaque priora.

115 *Media*] An non potius extrema eſt Saturni cum Marte? reliquæ potuis mediæ, cum medium Iouem participant. *Bella*] Aſtrologica hæc (Scriboni) nimis importunè ſe ingerunt phyſicis: aliud namque eſt naturam interpretari, aliud ex Natura hariolari, & alterum altero prius. Et cum diuinatio ex coniunctionibus iſtis, de regum, ac principum fortunis, ac belli ducibus, Rerumquepub. ſtatu, feratur, multis hypallelis ſcientiis interiectis, Phyſicæ poſteriora tanto diſcrimine intercepta, perfricta nimirum fronte, & violata artium omnium iuſtitiæ lege, in mediam phyſicam irruperunt.

116 *Annis*] Coniunctiones prædictæ ex vario diuerſoque planetarum motu oriuntur, doctore teipſo. ergo priùs quàm de aſpectibus agendum, de planetarum

netarum ſingulorum motu præcipiendum fuiſſet.

117 *Frigidæ*] Non frigidæ, aut ſiccæ Naturæ, cum prorſus elementaris qualitatis ſit expers. atque adhuc (Scriboni) obtundis aſtrologicis heterogeneis.

118 *Melancholicas*] Non dum facta eſt melancholicorum mentio, neque dum quid lepra, quid Cancer, quid morphæa intelligit Phyſicus diſcipulus: nec ex Phyſica intelligere debet, cum medica ſint omnia, & poſteriora, & ideo perturbata ſcientiarum natura phyſicam doctrinam interturbantia vnumquodque phyſicum præceptum rei eſſentia & eſſentiali proprietate, tanquam circo cingitur, vt quod tertium exiſtat, ſit heterogeneum, & aliò conferendum. Sanitas autem, vt & morbus (in quibus medicę præceptiones omnes & actiones conſumuntur) nec eſſentia, nec eſſentiales proprietates ſunt, non ergo Phyſico tractanda. Syllogiſmi propoſitio niſi rata teneatur, omnino nullus vniuerſis ſcientiis & artibus ingenuis ad phyſicam pręcludetur aditus, ſed totam artium cognationem & familiam (quod abſurdum) vna phyſica caperet. Sin autem eſſentiæ, vel eſſentialium proprietatum limites ſemel prętergrederis, & in accidentium regionem pedem intuleris: exciperis continuò artium reliquarum apparatu, extra rei Naturam poſitarum, quæ omnęs iunctis viribus, indicto bello, de finibus ſolicitæ, cogent te vel inuitum referre pedem & in rei Naturam, eſſentialemque proprietatem te recipere.

119 *Conceptione*]Hæc genethliaca, haud phyſica ſunt: vt neq; de hominis conceptionę (nondũ eò producta phyſica inſtitutione) poſteriora, hîc vel cõmemoranda ſunt, lege Methodi contrà ſanciente.

120 *Genito-*

120 *Genitorum*] Reliqua fere huius capitis omnia sunt physicis aliena: vt de Saturni regno in senes, Iouis in sanguineos, Martis in cholericos, & iracundos motus, ex posterioribus tantùm intelligenda.

Et hi fuerunt Planetæ, qui impari spacio circumuoluuntur: sequitur de inferioribus, qui pari cursu mouentur.

Pari temporis spacio mouentur Sol, Venus & Mercurius qui annuo interuallo iter suum conficiunt.

SOL *est stella errans, omnium lucidissima, temporum vicissitudines describens, & vitam inferiorum fouens.*

Vt enim lucis, ita caloris quoque & facultatis vitalis vniuersæ scaturigo est: qualitate pollens calida & sicca mediocriter.

Domum possidet vnicam in Leone.

Regit autem affectiones calidas & siccas: ideoq; sub dominio eius ad eiusmodi passiones remedia formari possunt optima.

Potentia eiusdem in conceptione hominum elucet mense primùm quarto: postea verò vitam eorum disponit in primis à vicesimo secundo adusque quadragesimum primum annum.

Stella Solis si in orbis sui apogæo, aut perigæo feratur, fit Solstitium.

120 *Solstitium vel æstiuale est, vel hybernum.*

121 *Æstiuum solstitium est Solis altissimi, ideoq; diei longissimi determinatio.*

Contingit hoc nostris temporibus 12. vel 13. Iunij in principio Cancri.

Hyber-

Hybernum est Solis à nobis remotissimi, ideoq; diei breuissimi terminus.

Accidit autem in principio Capricorni 11. *vel* 12. *Decembris.*

Motus insuper Solis, causa etiam est Æquinoctiorum.

Æquinoctium est diuturni nocturniq; spacij, siue temporis æqualitas.

Æquinoctium aliud Vernale est, aliud Autumnale.

Vernale est, quod contingit in principio Arietis 11. *plerunque vel* 12. *Martij, tempore Veris.*

Autumnale est, quod in principio Libræ mense Septembri accidit, tempore Autumni.

In iis siquidem punctis cœli si Sol constitutus sit, per sex signa in nostro hæmisphærio conspicua mouetur, & per totidem in plaga mundi nob is opposita.

Quamuis puncta & tempora vtriusque Æquinoctij variari soleant.

VENVS *est stella errans candissima: unde ob venustatem, quam à claritate luminis obtinet, sic nominatur.*

Planeta hic proximè Solem currens, eum modò antecedit modò sequitur.

Antecedit Solem matutino tempore, quare tum etiam Lucifer dicitur.

Subsequitur eum tempore vespertino Occidentem, quando Hesperus, item Vesperugo appellatur.

Qualitas Veneris est frigiditas & aerea humiditas: domum habentis duplicem in Tauro & in Libra.

Amat iuuentutem, itemq; mulieres & vxores: adeoq; dominium habet in omnes ægritudines frigidas & humidas, quæ circa partes maximè genitales contingunt.

Si igitur contra eiusmodi affectiones excedentes salubre aliquod remedium quærere & colligere velis: id faciendum si Venus in sua domo sit facie & gradu debito.

Vires

Vires ſuas in conceptione hominum præcipuè oſtendit, & quidem quinto menſe: vitam verò eorum deinceps diſponit ab anno 14. ad annum vſque 22.

MERCVRIVS *ſtella eſt errantium minima, parumper albicans.*

Naturam habet variam, & omninò verſatilem: cum calidis calidus, cum frigidis etiam frigidus eſt: ſequitur enim naturam eius cui coniungitur.

Domos occupat Geminos & Virginem.

Imperium autem habet potiſſimùm in animæ hominum accidentia, vtpotè cogitationes, eaſq; profundiores, adeoq; cognitionem, ſtudium, ſcientiam & ſcripturas. Vnde etiam quia artes Mathematicæ in primis excellentes in commutationibus & negotiationibus mercatorum verſantur, ille à mercemoniis dictus eſt.

Quapropter ſub eius dominio commodum fuerit inchoare ſtudia literarum, iiſue operam nauare: nuncios & rumores referre. Tum enim maiorem habebunt varitatem.

Conceptionem hominis regit potiſſimum menſe ſexto: vitam deinde eius diſponit etiam à quarto anno aduſque decimum quartum.

Mercurius ſi cum ſuperioribus planetis coniungatur, prę-ter alia redundantiam pluuiarum, ſubmerſiones & ruinas ſignificat. Similiter quoque ſi cum Venere iungatur in manſione humida.

In domo autem propria, ſignificat ventos maximos, motumq; aeris valde impetuoſum.

120 *Solſtitium*] Solſtitiorum doctrina nõ eſt phyſica, cùm nihil ſolaris Naturæ contineat: Sed omnia ex euentu, pro varia poli eleuatione: vel pro ſitu regionum orbis inferioris, varia fiant Solſtitia. quod autem naturale eſt, non ex alio pendet, ſed omnino, ſemperque ineſt. Sol autem, ad terram vel

apogæus,

apogæus, vel perigæus est: neque eisdem terræ partibus, sed aliis atque aliis; neque ideo naturalis vlla Solis affectio, vt nec planetarum reliquorum, apogæum vel perigæum esse. Sed ex asidibus solis sphæræ ingenitis, & huius partem continentibus, nunc propriùs, nunc longiùs centro abest, cuius respectu, nullum solstitium est. ergo ista cœli ad terram relatio, ipsa incognita terra, intelligi nequit, quod autem physicum est, ex causis suis percipitur, nec alia Natura illustratur posteriore. Qui verò prognosticam & diuinatricem artem instituere velit, & cœli, & terræ, & omnino vniuersæ Naturæ facultates, non tantùm naturales, sed & hominum morales nosse prius debet, ex quibus prognosticæ partes vniuersæ oriuntur.

121 *Diei*] Omnis diei ratio, vt & temporis vniuersi, ad computum spectat, & à physica schola (ob prędictas rationes) est aliena. quæ reliqua sequuntur huius capitis contra legem iustitiæ allata, astrologis, & prædictionum hariolis, quorum propria sunt, relinquenda.

Tantum de Planetis eundem splendorem obtinentibus: sequitur de diuersimodè lucentibus.

DIuersimodè lucentes planetæ sunt Luna & stella cometarum.

LVNA *nimirum stella est errans in ordine infima: 27. diebus, & horis 7. metam constitutam attingens.*

122 *Stella hæc quamuis proprio lumine etiam luceat, maximam tamen copiam sui luminis à Sole mutuatitiam habet.*

Sed

Sed quia essentia eius admodum inæqualis est, vtpotè alicubi rarior, alicubi verò crassior: idcircò inæqualiter radiis Solaribus collustratur.

Nempe pars eius à Sole auersa tota opaca est: altera Solem ipsum respiciens luminosa est: & eius quidem tanta solùm portio conspicua est, quanta nobis obuertitur: vnde diuersæ corporis Lunaris apparitiones fiunt.

123 *Luminosa pars Lunæ aut coniungitur cum Sole, aut ab eo digreditur.*

Coniuncta Soli Luna primis quatuor cuiuslibet mensis diebus tegitur à maiore lumine radiorum solarium: quod tempus dicitur nouilunij.

124 *Digrediens à Sole magis magisq; illustrata, iterum oculis nostris apparet.*

Apparitio Lunæ vel partialis est, vel plena.

125 *Partialis fit tum ante, tum post oppositionem: illa crescens, hæc decrescens Luna dicitur.*

Partialis autem omnis vel minor est, vel maior.

Minor est tum corniculata, tum dimidiata.

Corniculata seu Falcata Luna est, quando in cornua excauata primum augeri incipit 4. cuiuslibet mensis die, distans à Sole duobus signis siue gradibus 60. item post oppositionem die 26.

Dimidiata, siue diuidua Luna est circa diem plerumque septimum: & iterum post oppositionem die mensis 22. cum tribus signis à Sole aut gradibus 90. distat.

Maior apparitio partialis, Lunæ est gibbosæ, aut prætumidæ, quando pleno eius orbi adhuc quidpiam deest: circa diem 11. & post oppositionem die 19. quatuor signis aut 120 gradibus à Sole distans.

Plena apparitio Lunæ est, cùm diametraliter Soli opponitur circa diem ferè 14. quando plenè lucens aut plenilunium dicitur.

Hæc

Hæc paulatim marceſcens decreſcit, atq; imminuitur, donec iterum Soli coniungatur: id quod fit circa diem menſis 30. Interea temporis decreſcens appellatur, & ſpecialiter quidem iiſdem quibus ante apparitionem nominibus.

122 *Proprio*] Luna non propria luce lucet, Sed aliena, nempe Solis, à cuius radiis, vniuerſi cœli lampades illuſtrantur, ipſæ per ſe lumine deſtitutæ: dic aliâs, cur à Sole vultu auerſa, opaca ſemper apparet Luna, & quaſi tenebris immerſa.

123 124 *Luminoſam*] Luna nullam obtinet partem luminoſam quam Soli coniungat, ſed ex ipſa cum Sole coniunctione, fit ſuperna facie luminoſa. nec magis à ſole digrediens illuſtratur, vſque dum ex Diametro ſoli opponatur; atq; tum altera facie nobis conſpicua, expletur lumine.

125 *Oppoſitionem*] Ex poſteriore oppoſitione, haud prudenter definis partitam apparitionem: oppoſitio namque poſterior eſt, & pleno vultu apparentem lunam oſtentat.

Hæc de Luna: ſequitur de Cometis.

126 *STella cometarum, eſt ſtella errans, varium motum & ſplendorem in regione planetarum obtinens.*

Stella eſt rarioris admodum apparitionis: nunc infrà, nunc ſuprà alios planetas conſpicua, ideoq; etiam grauiſſima quæque prænunciare ſolet.

Nempe bella ſæpius ob infelicem aſpectum Solis & Lunæ in eclipſi, aut coniunctione ſuperiorum planetarum.

Et quia aer diutius ab ea afficitur, peſtē & interitum animantium: item quia ſurſum à cometa attractis multis exhalationibus terra multum exiccatur, ex ariditate ortam ſterilitatem, & demum annonæ caritatem denunciat.

126 Do-

126 Docueras (Scriboni) pag.13.lib.2.simplices essentias rotundas esse Naturas, ex nihilo factas, & vniusmodi compositione constantes: & paulò pòst, has in constantes & minùs constantes partiris: constantibus cœlum, & stellas comprehendis; & deinceps stellis in fixas & planetas diuisis, cometas planetis adnumeras. ex quo (autore Scribonio) cometæ ex nihilo fient; cœli, astrorumq; æmuli, rotunditatem obtinebunt: Præstantissimam formam obtinentes, perennitate cælestibus Naturis æquabuntur: quorum neutrum, salua lege veritatis, affirmare queas. Etenim ex viscosa exhalatione materiam habet cometa; neque inter Naturas initio creatas genesis historia recensetur. Sed potiùs symptomaticum quid Naturæ est, horrenda, & terrifica portendens. neque rotundam figuram habet, vt cælestes Naturæ, sed vel in barbam, aut in caudam, figura porrigitur, vel in crines diffunditur. Et cùm vel maximus cometarum, & firmissimis partibus constans vix centum dies durare conspiciatur, constans natura haberi nequit: neq; inter stellas rectè queat recenseri. Porrò quod docuisti Pag.42.lin.5. diuersimodè lucere, tanquam affectionem cum luna communem, æquiuocationem admittit diuersimodæ lucis. Lucendi namque diuersimodè ratio, pariter ad idem genus haud refertur: cùm aliter diuersimodè luceat luna, aliter cometa: hæc quia variè solem aspiciens vultum diuersum, atque varium præbet, hic quia sensim accensus, atque tandem extinctus, inconstanti lumine conspicitur. omnis autem affectio communis similiter se habet ad ea, quorum affectio est.

Adhuc de Planetis: ſequitur de Planetarum Eclipſibus.

127 E Planetis aliquando lumine deficiunt, & præ cæteris occultantur Sol & Luna.

Contingit vtriuſq; defectus in Zodiaco, ſi luminaria illa duo ſint in nodis ſuorum circulorum, vel omnino propè ipſos.

Nodi ſunt interſectiones circulorum, qui à Solis ac Lunæ curſu conficiuntur: eorumq; figura Draco dicitur.

Ex his alius ſuperior eſt, aſcendens dictus, vulgò Caput Draconis. Alius inferior, ſeu deſcendens: Cauda Draconis dicitur.

Aſcendens nimirum nodus eſt punctum illud, vbi Luna à media parte Zodiaci, quam lineam Eclipticam vocant, digrediens, ad verticem noſtrum accedit.

Deſcendens nodus eſt, vbi Luna digrediens iterum à vertice noſtro remouetur.

Defectus autem, ſiue Eclipſis luminarium vel totalis eſt, vel partialis.

Totalis eſt totius ſyderis obſcuratio, quæ contingit in ipſis interſectionibus mediis.

Partialis eſt in vna tantum parte luminaris obfuſcatio, quæ prope nodum alterutrum contingit.

ECLIPSIS *proinde* SOLIS *eſt radiorum Solis ab oculis hominum ſaltem excluſio.*

Accidit hæc ob interpoſitionem Lunæ, propter propinquitatem radios ſolares ſua craſſitie excludentis & auertentis: & propter Solis à terra diſtantiam.

Eodem modo, quo exiguum aliquod corpus ante oculos noſtros poſitum ſæpe montem vel ampliſſimum tegere poteſt.

Interpoſitio autem illa fit in coniunctione vtriuſque planetæ.

Termini

Termini coniunctionis vltra citraq; nodos describuntur: in Septentrione 20.gradibus,40.minutis. In Meridie 11.gradibus 22.minutis.

Si enim paulò lõgiùs extra nodos Luna euagetur in latitudinem: ita Solem præterit, vt nullam eius partem perstringat.

Partialis proinde defectus Solis vel maior fit, vel minor, prout coniunctio corporum directa fuerit.

Maximè Sol obscuratur, adeoq; totaliter ferè, si centra luminarum & visus noster secundum linearum rectitudinem coniungantur: quam coniunctionem vocant Apparentem.

Eclipsis Lvnae *est luminaris Solaris in Luna priuatio.*

Contingit illa in oppositione, Luna incurrente in vmbram terræ diametraliter in Solem & Lunam positæ.

Vmbra enim terræ, ceu corporis opaci lucido Sole minoris, figuram referens coni, aut rectæ pyramidis, maior est quàm Luna, adeoq; etiam vltra sphæram eius extenditur: idcircò Luna in eius vmbram incurrens occultatur.

Termini ecliptici oppositionis à nodis vltraq; citraq; 15. tantummodò gradibus determinantur.

Sed quoniam Luna raròtam propè ad eclipticum pertingit, rariores fiunt defectus lunares.

Totalis Lunæ obscuratio, quamuis ab omnibus in eodem hemisphærio, viuentibus conspiciatur: Orientalibus tamen tardiùs, Occidentalibus verò citiùs apparet.

127 *Lumine*] Ambo lumine nõ deficiunt, Sol namque lucis autor, æquabiliter, vt constanti lumine splendet. Luna verò, nisi cum Sole coitu, facie nobis auersa, lumine destituitur: vt & ex terræ interpositu ecliptico, deficit: Nos eclipsibus vtriusque lumine deficimur. est porro eclipsium doctrina astrologi-

ca, & ex motu aſtrorum, & euentu nata, neque ex rei natura orta, vt & illa prognoſtica inde deprompta. Quid quod eclipſes hæ ex lege Sapientiæ minimè his quadrant, ſed etiam cum aliis planetis communicantur? hinc Mercurius viſus eſt aliquando Veneris ſtellam obſcurare.

Tantum de Naturis conſtantibus: ſequitur de minùs conſtantibus, vtpote de Elementis.

Minùs conſtantes naturæ, ſunt eſſentiæ corporatæ, ob formam ignobiliorem haud diu durabiles. cuiuſmodi ſunt elementa.

Quamuis enim forma iſta ob cæcitatem mentis nobis minùs appareat: manifeſtè tamen varios motus & effecta producit.

128 ELEMENTA *autem ſunt eſſentiæ ſimplices, minùs conſtantes, rerum concretarum, ſiue mixtilium matrices atque domicilia.*

Hæc vnà cum cœlo Deus in principio creauit, ſingulaque perfectè & abſolutè exornata, à reliquis ſingulis diſtinxit, vt in iis res aliæ vniuerſæ corporatæ ſedem ſuam & habitationem habere poſſent.

129 *Et hanc ob cauſam iis, qui res corporatas mobiles tantùm in phyſicis conſiderârunt, dicta fuerunt elementa, & principia aliarum rerum, quaſi prima & ſimpliciſſima in earum ordine, abſque quibus cætera corpora ſubſiſtere non poſſent.*

**Nam res mixtiles, tanquam in vtero infantes, in elementorum regionibus è propria ſingulæ materia virtute cœli producuntur, ac denique fouentur & conſeruantur.*

130 *Quamuis autem ſimplicia primùm facta fuerint*

elem-

elementorum corpora: ob mutuam tamen inter se coniunctionem, impuritatem quandam contraxerunt, quæ simplicitatem quodammodo repressit, vt conseruandis corporibus aliis magis essent idonea.

Ea insuper singula adiunctis essentiæ suæ qualitatibus, variè corpora contenta afficiunt: sicuti æstuarium aut calidus quicunque locus animantia, & res alias etiam calefacit.

Elementum aliud pellucidum est, aliud obscurum magis & crassum.

Pellucidum, cuius essentia propter tenuitatem pellucidior est: & quidem prò maioris minorisue tenuitatis ratione magis vel minùs lucidum.

Magis pellucidum elementum est aer.

Aer est elementum pellucidissimum frigidiusculum & humidissimum.

Hic propter summam tenuitatem liquidissimus quoque est, & fluidissimus: ideoq; facilimè dissipabilis, atque mobilis omnem alium locum penetrare potest.

Frigiditas autem aeris non vtrobique æqualis est, sed alibi remissior, adeoq; planè insensibilis, alibi intensior: calore nimirum Solis, vel propinquioris, vel remotioris aucta, seu diminuta

Ideoque tres regiones, siue partes aeris proponuntur.

Suprema aliarum respectu calidissima, sicca, & luminosior, propter syderum cœli propinquitatem.

Hæc propter similitudinem qualitatum ex consuetudine tantùm ignis nomine fuit dicta: vnde deinceps alij errore decepti proprium ex hoc aere elementum fecerunt.

Ignis enim quo in focis nostris fruimur, est intentissima tantùm caliditas cum extrema siccitate in corporibus vstibilibus: à qua videlicet corpora eiusmodi accedente motione aeris accenduntur.

131 *Et flamma ignis illius est accensus solummodò aer: quare etiam ob aeream mobilitatem leuitatemq́ʒ in altum semper ascendit.*

Altera pars aeris, siue media, est frigidior & tenebricosa, propter qualitatum in reliquis partibus antiperistasin: tũ etiam propter minorẽ radiorũ Solis hoc in loco efficaciam.

Infima deniq́ʒ pars in qua nos degimus, indiscreta est.

Nempe modò calida, propter radiorum solarium à terris reflexionem, qua ingeminantur quasi, & conduplicantur: & quidem calidior, vbi radij redisparguntur: modò frigida, ob corporum inferiorum absentibus radiis frigiditatem.

132 *Aer proinde animantibus vniuersis adeò necessarius est, vt si vel ad dimidiam horam eo priuentur, diutius conseruari non possint.*

Calorem enim eorum, quo sustinentur, contemperat, ac refocillat: ne citiùs languescat, & debilitetur.

133 *Quò purior autem & tenuior hic fuerit, eò quoque salubrior: quò impurior & crassior, eò magis quoque perniciosus est.*

Insalubris igitur est, qui stagni aut paludis propinquioris halitu inficitur, aut qui ob stagnum, siue flumen vicinum nebulosus est: item qui editis montibus in valle inclusus non difflatur: & qui animalium, olerum aut leguminum putredine fimóue coinquinatur.

*Elementa non sunt principia materiata rerum mixtilium, sed subcœlestium corporum prima, in quibus prius factis res aliæ fiunt & viuunt.

128 *Matrices*] Quod vnâ cum cœlo à Deo creatum est, cæterarum rerum sub cœlo futura Matrix, vt inconstantem, & ignobili forma præditam habeas, etiam atq; etiam cogita, Scriboni. cæteræ namque res vniuersæ sub lunę sphæra comprehensæ, specierum propagatione, paré cum cœlo obtinent diutur-

turnitatem. Ergo quod harum matrix futurum eſt, cœlo nihilo magis caducum foret, ſi elementa rerum matrices tantùm, ſit exiſtimandum.

129 *Elementa*] Non quia rerum matrices ſunt, dicta ſunt elementa, vt nec principia: matrix namque extra rem ipſam poſita eſt, elementa verò rei eſſentiam complent: quibus autem elementa habentur quatuor illa ſecundum cœlum ſimpliciſſimæ naturę, inde talia habentur, quia ad perfecte miſta conſtituenda, certis rationibus coeunt, non quòd tanquam in ſinu, vel vtero fotas excludant. atque hîc etiam tibi elementa à principijs fuiſſent diſtinguenda. Rerum autem ipſarum ſubſtantiam conſtituere, vel inde apparet, quod extincto animali, vel arte corrupta vegetabili Natura, ſingula inde elementa liceat elicere, & diſtincta quatuor, vel oculis repræſentare.

130 *Simplicitatẽ*] Ergo (vel teipſo iudice) non ſunt ſimplicia, (neque certe ſunt) ſimplicia enim qui forent compoſitarum rerum Nutrices? annon potiùs tenendum hæc ipſa nobis opportuna, compoſita eſſe? maximè tamen inter compoſita, elementorum ſimplicitatem recipere? vt aliud elementum ſimplex ſit, aliud compoſitum: compoſitum autem, in finitis rerum ſeminibus proprio, ſoliſque, & reliquorum aſtrorum calore excoquendis refertum?

131 *Aer*] Non aer flammam concipit, cum ad hanc ineptus ſit, frigidum elementũ (te ipſo autore) & humidiſſimũ exiſtens. Sed oleoſum quid, flammæ proprium pabulum, fumo miſtum, & calore intenſo elatũ. quod autẽ ſine aere libero flãma extinguitur, fit quia fuligine propria, & in auras ſpargenda, ſuffocatur, nõ quod aere tanquã ellychnio ſeuo deſtituta marceſcat. Quod deinceps de aeris tẽperie ſecundũ

 regiones

regiones, eſt potiùs coſmographicum quid, quàm phyſicum, cùm niſi ex poſterioribus intelligi nequeat; videlicet ex Solis radiis terram verberantibus, & ex antiperiſtaſi, inde nata. Phyſico autem quod natura ineſt, interpretãdum proponitur, non quod extraneo euentu contingit. atque certè vt & omnis cœli circuli deſcriptio, & illa aſteriſmorum pigméta, geographica rectè dici queunt; ita huiuſmodi aeris diſtinctio acrographia, vti climatum terreſtrium diſcretio, geographia, artium poſteriorum veluti baſes ad coſmographiam commodiore arte, & magis perſpicua, referri queunt.

132 *Dimidiam*] Non vniuerſis, cùm Piſces aqua proprio ſibi, ac familiari elemento, tutius, ac ſalubrius degant, quàm vel vniuerſo aeri expoſiti: neque eſt quòd aquam aere præditam reſponſes, cùm hîc de aqua, vt elementum ab aliis diſcretum, ſermo habeatur.

133 *Salubrior*] Salubre, & inſalubre, ad medicos, non ad Phyſicos pertinent, ſunt enim nec Naturæ, nec eſſentiales naturæ proprietates. Medicis autem, vt ſigna, vt cauſæ, vt corpora ſpectantur, & pro mortalium vſu inſalubribus, vel vitatis, vel vi pulſis, & ſalubribus inductis, hominum ſaluti conſulitur.

Hæc de Elemento pellucidiore: ſequitur de minus pellucido, vtpote de Aqua.

MInùs pellucidum & tenue elementum eſt aqua.

Aqua eſt elementum minùs pellucidum, humidum & frigidiſſimum.

In hoc Piſces in primis & animantia natatilia degunt, aliaq́; etiam alimoniam ſuam inde capiunt.

Et

134 *Et quò naturæ ſuæ propinquior, hoc eſt, limpidior & clarior fuerit aqua, eò quoque corporibus omnibus magis conueniens erit: vnde etiam leuiſſima aqua, quæ citò calefieri atque refrigerari poſſit, approbatur.*

135 *Elementaris autem eiuſmodi aqua in terræ meatibus accenſa thermas producit.*

Thermæ videlicet aquæ ſunt, ob calidorum corporum, vtpote mineralium propinquitatem perpetuo calore ſcaturientes.

Et hanc ob cauſam omnes propemodum vim habent calefaciendi & exiccandi: qua frigidis humidiſq; corporibus in primis ſuppetias ferre poſſunt.

Aquæ proinde terrarum oſtiis circuncluduntur: eæq; vel maiore quantitate continentur, vel minore.

136 *Maior congregatio eſt aquarum marinarum.*

Aquæ marinæ enim, ſiue maria, ſunt ingentes aquarum, maximè ſalſarum, collectiones.

137 *Salſedo autem maris oritur, tenuioribus partibus virtute ſyderum ex eo extractis, vt tantùm craſſiores ac terreſtres relinquantur.*

Mare aliud vniuerſale eſt, aliud particulare.

Vniuerſale eſt, quod totam terram ambit, vtpote Oceanus.

Oceanus alternis æſtibus ſiue reciprocatione quadam accedit & recedit.

138 *Hic in Oriente Oceanus Indicus: in Occidente Atlanticus: in Septentrione Hyperboreus, ſiue mare glaciale: in Meridionali plaga Meridionalis vocatur.*

Mare particulare eſt, quod vel mediam terram ambit, vel in aliis certis partibus congregatur.

Per mediam terram ab occaſu ex Oceano ad Orientem vſque extenditur mare magnum: vnde etiam Mediterraneum dicitur. Sed in diuerſis etiam terrarũ regionibus variis aliis nominibus appellatur.

Certis

Certis terræ partibus se insinuant mare Hircanum, Sinus Persicus : item Sinus Arabicus, quem Mare rubrum vocant : quamuis eiusdem coloris sit, cuius etiam alia maria.

Aqua minore quantitate congregata est, tum aliorum fluminum, tum fontium.

Fluminum si rapidus sit motus, torrentes : si exiguus, aut omninò nullus, stagnantes aquæ, siue lacus dicuntur.

139 *Fontium aqua ad potandum melior est, quæ ex aliis montibus profluit : & quæ ducitur per canales puriores & ampliores : è quibus lignei aut laterītij longè præstant plumbeis.*

Quæ enim diffluit per canales plumbeos, præsertim angustiores, omnibus inconueniens & insalubris est : varias affectiones corporum producens.

Variant insuper aquæ tum colore, tum sapore.

Colore, quoniam variis coloribus infectæ reperiuntur. Viridis omninò est in Carpato monte. Lactea in Glauca Mysenæ oppido. Rubra conspicitur iuxta Radeburgum in Racero Mysenæ fluuio.

Sapore differentes aquæ sunt salsæ, acidæ, amaræ, vinosæ, aut quocunque alio sapore præditæ.

140 *Salsæ fiunt aquæ, vbi meatus earum veluti cinere ignis in specubus, aut venis terræ extincti inficiuntur.*

141 *Acidæ fiunt è sulphuris insuper vapore admixto : earumq; fontes Acidulæ nominantur. Quales sunt in Hassia propè Sualbachum. Item in agro Fridbergēsi, & in vicinia nostra, salubres admodum Wildungæ in Comitatu Waldeccensi.*

In Hyrcano Siciliæ agro, aqua tam acida est, vt incolæ eam pro aceto in eduliis vsurpare consueuerint.

Amari fontes in Scythia feruntur, quorũ defluxus etiam amnem, in quem influunt, amarum reddunt.

Vinosæ

Vinosæ aquæ, quæ vini optimi saporem referunt: in Naxo sunt, insula vna è Cycladibus AEgæi pelagi.

134 *Propinquior*] Non quo naturæ tuæ propinquior, eò corporibus salubrior, si tibi constes, Scriboni: qui pag.47.li.5.docueris corporibus meliùs conseruandis, elementorum simplicitatem, qua primo creata sunt, aliorum vicinitate retusam.

135 *Thermas*] Neq; hanc thermarum interpretationem admiserit physicorũ schola, quia præter naturam aquis accidit, quia nisi ex prægressa terrę doctrina, nec tradi nec intelligi potest. Et historicum quid potiùs terræ contineat aquas accendere, & ad chorographiã referendum, quàm ad huius naturam explicandam accommodatum. Sin autem thermas compositas naturas teneas, elementum tamen aquę admodum referẽtes, haud inuitus assentirer; Sin autem aquæ species esse statuas, videris quẽadmodum elementum in species distribueris. Et quod externa vi, non sponte naturæ accidat, naturalibus proprietatibus adscripseris. Gesta namq; rerum naturalium ad historiam referenda (Scriboni) non physicis præceptis inserẽda. Neq; spectat physicus quid hoc aut illud agat, vel patitur, sed omnino naturas & proprietates notat: ex quibus naturarum gesta pro eis quibus committuntur, varia, & propemodum infinita, tãquam à fontibus oriuntur, & fluunt. Actio namque ad aliud est, & patientem petit; proprietas autem agentis naturæ, hanc respicit tantùm.

136 *Maior*] Est ista hydrographia physicis aliena, & geographica vel chorographica, & ob prædictas rationes minime in physicis admittenda.

137 *Tenuioribus*] Annõ probabilius, Scriboni, initio mare creatũ salsum, & inde flumina, & fontes terræ venis

venis ac meatibus tanquam percolata dulcia fieri? nisi fortè ex rupium salsarum alluuie inficiantur. Nam quod aiunt physici, syderibus prolectum tenue ac dulce, relinquere crassum adustum, & propterea salsum: pluuiis & imbribus, largiter rependitur, ex quibus videlicet maris adusti cineres, vberrimè proluantur. Præterea inde sequeretur mare aliquando dulce fuisse, cum tempore opus esset tãtis aquarum cumulis excoquendis. Præterea rerum mari, nec alibi degentium natura, quæ aquam dulcem respuunt, argumento est, non accidenti aliquo, sed natura propria mare salsum esse.

138 *In oriente*] Quæ hîc de Indico, Atlantico, Hyperboreo, meridionali mare, atque postea de sinu Persico, Arabico narras, geographica sunt, & nihil ad physicam acroasin pertinentia.

139 *Melior*] Omnium salubrium causarum doctrina medicorum est propria, neque physicis (salua iustitiæ lege) concedenda. Et quas deinceps tradis aquarum varietates, physicæ non sunt: sed ex venarum quibus feruntur qualitatibus natæ.

140 *Salsæ*]Probabilius est ex meatibus potiùs salsis, non ignis ardore adustis, sed ex minera salsa, certis aquarum venis salsedinem conciliari: vnde salsedinem maris καθόλȣ πρῶτον doces imprudenter.

141 *Acidæ*]Annon potiùs ex vitriolo, & alumine, quàm ex sulphuris vapore? Quorum vtrunque aciditatis, vel acerbitatis particeps existit, sulphûre intereà prorsus vtriusque experte, quantumuis eius oleum opere chymico eliciatur acidum. Sin autem ex sulphureo spiritu aciditas oriatur, cur non & omnes thermæ sulphureæ percipiantur acidæ?

Tantum

Tantum de Elementis pellucidis: reſtat opacum, nempe Terra.

TErra eſt elementum craſſum, frigidum & ſicciſſimum. Hæc perpetuò immobilis eſt, vt circa eam veluti centrum reliqua moueri poſſint.

Et vt maximè elementum hoc inæquale videatur, alibi altius, alibi humilius: æqualiter tamen vt reliqua, circulare eſt.

142 *Quantumuis enim plurimi ſint alti terræ montes ſpeluncarumq; concauitates: ipſa tamen verè & æqualiter rotunda manet.*

142 *Plurimi*] Priùs cœlum in regiones diſtinctum dediſti, aërē in tria partitus es: aquas item in maria, fontes & flumina fuſa, phyſicis propoſuiſti. Cur ergo, Scriboni, diſſimili ratione in terra, geographicā prætermittis? Neque ex quinque Zonis, aliam temperatam, aliam frigore, aliam calore exuſtam, doces? Certè opinor, ex lege iuſtitiæ miſſa facis hæc. Et profectò pari ratione, in cœlo, aëre & aquis, omnem huiuſmodi coſmographiam omiſiſſes. Gauderes tuis, nec tanta phyſices propagandæ libidine laborares, vt fere nullam reliquarum liberalium artium ſaluam atque illibatam relinqueres, quin omnes vaſta cupiditate, in vnam phyſicam congeras.

Adhuc de Naturis ſimplicibus: ſequitur de Concretis.

143 *NAturæ concretæ, ſiue mixtiles, ſunt eſſentiæ corporeæ ex partibus diuerſæ rationis coalitæ & commixtæ.*

144 *Ex varijs enim diuerſarum etiam formarum rebus, vnius*

vnius formæ ſpecies vnica & ſimplex reſultare & componi poteſt: ſicut ex cera, adipe, oleo, aliiſq; liquoribus, ſiue pulueribus, aut herbis, vnius etiam coloris atque ſpeciei medicamentum ſæpe formatur.

145 *Res autem eiuſmodi mixtiles pro elementorum ſingulæ ſuorum affectione & cõſtitutione diuerſa, variè etiam afficiuntur: ideoq; aliæ aëreæ, aliæ aqueæ, aliæ terreſtres fiunt.*

146 *Quanquam enim ex elementis, ceu ex materia aliqua eſſentialiter haud conſtent: in iis tamen ſedem ſuam habentes ſimilem omninò eorundem naturam conſtitutionemq; obtinent.*

147 *Qualitatum verò in corporibus illis conuenientia, aut proportionalis commixtio, ipſa quoque temperamenta facit.*

148 *Temperamentum enim eſt qualitatũ in rebus mixtilibus cohærentium proportio.*

Temperamentum autem vel æquale eſt, vel minùs æquale.

149 *AEquale, eſt conueniens vnicuiq; ſubſtantiæ commixtionis ratio: vnde etiam temperamentũ iuſtitiæ dicitur.*

Natura ſiquidem quod vnicuique corpori ad obeundas ſuas actiones conducit, in tali contemperatione potiſſimum ſpectat: eiq; hanc ob cauſam quaſi iuſtitiæ ritu ſuum ſit, communicat.

150 *Itaque hæc etiam temperamenti ſpecies propter diuerſitatem corporum, quibus ineſt, maximam latitudinem obtinet: vt varij gradus æqualitatis eſſe poſſint.*

Singula enim corporum genera ſuam ſiue propriam habent complexionis æqualitatem.

151 *Et hanc actionibus potiſſimum functionibúſve ſpecialibus atque proprijs metimur. Ita hominem benè conſtitutum, ſiue temperatum dicere poſſumus, ſi omnes corporis ſui*

actiones ritè efficit: equum si velocissimè currere queat, & sic deinceps.

Inæquale temperamentum est, quod dispari mixtione sustinetur: vbi nimirum qualitates aliæ alias exuperant.

152 *Qualis commixtio, non solùm tactu, sed ex ipsa quoque corporum substantia & compositione dignoscitur.*

Et hoc vel simplex est, vel compositum.

Simplex, in quo vna aliqua princeps qualitas prædominatur.

153 *Quod vel actu verè, vel potẽtia siue virtute inhęret.*

Compositum est, in quo duæ qualitates excellunt: vtpote caliditas cum humiditate, vel siccitate: siue frigiditas etiam cum iisdem coniuncta. Et hinc corpora alia sunt calida simul & humida, alia frigida & sicca, &c.

143 *Partibus*] Atque doce partes has. Sunt opinor simplices hæ: simplex omne est vel cœlum, vel elementum, cœlum nulli se miscet: ergo ex elementis constabunt naturæ concretæ. Neque hæc matrices tantùm habent, sed ipsam concretorum naturam continebunt. Et si attentè aduertas animum, senties elementa non rei partes esse, vt malè ex partibus diuersis concretarum naturam definiens. Omnis namque rei pars eandem naturam cum toto participat, nam totũ integrat: ergo si elementa partes rei concretæ arbitraris, eadem pariter concreta statuas necesse est. Sunt autem compositæ naturæ cum plurimæ homoiomeris partibus constantes: vt aurum, argentum, & metalla reliqua excocta, & naturæ præterea infinitæ quantumuis ex diuersis elementis ortum habent, & incrementum, qua tamen ex definitione Scriboniana minimè forent concretæ.

144 *Variis*] Vis ergo, Scriboni, formas concretorũ

ex

ex prioribus formis coaleſcere, ad vnam ſimplicem conſtituenda: atque quanam demum arte efficias, vt idem ſit & ſimplex, & ex multis conflatum? Nil pluribus informatur,& iſto axiomate abs te prolato, ſimplex eſſe nequit, varias formas complexum. Neque certè magis phyſicum illud eſt: formas ex formis fieri: nam quod ex aliquo fit, id ex quo fit, idem materiam habet: ergo formæ priores, materiæ, non formæ rationem obtinebunt. Materiæ autem ſi ſint: adhuc ſupereſſe aliquid neceſſe eſt, quod materiam illam ex pluribus formis concretam efformet: quod abs te prætermiſſum, dubiam reddit, & incertam, formarum doctrinam. Quid ergo? Certè ſimplex eſt cuiuſque forma, ſuæ originis, & à Deo primùm rebus indita. *Sicut*] Sed ſimilitudinem tuam ad illuſtrandam doctrinam hanc attendamus: ſicut ex cera, adipe, &c. atque illud ex tot ſimplicibus natum, compoſitum erit medicamentum, non ſimplex, & vt colore vno ſpectabitur: ita non ſimplici, ſed ex ſimplicium coloribus mixto. Quid quod malè, & peruerſo ordine, naturam artis æmulam facis. Cuius omnis componendi ratio, longè à naturæ induſtria alia eſt, & vt formarum naturalium prorſus rudis, ita nec has inter ſe committere vlla poteſt manus artificis.

145 *Aëreæ*] Non quia variè elemẽtis afficiuntur, tales ſunt concretæ naturæ, ſed quia variè ex his miſtæ, hoc vel illud elementum plus vel minùs referunt, inde aliæ terreſtres, quia plus terræ, aliæ aqueæ, aliæ aëreæ, aliæ igneæ, quia aqueam, aëream, igneam naturam magis aliis recipiunt.

146 *Haud conſtent*] Atque aliâs vnde concreſcerent? Teipſo phyſico magiſtro, ex aliquo: id verò nec

nec ſimplex, nec compoſitum eſt. ex quo ergo? Si ſimplex, cœlum id, vel elementa: cœlum paſſionis omnis liberum, ac immune, perſtat: elementa tu reſpuis. Compoſitum id ſi ſit, ex quo tandem componentur illa? Ergo ex elementis igne, aëre, aqua, terra, compoſitum vnumquodque omnium phyſicorum vocibus approbantibus, componetur. Quod eo mirum magis abs te prætermiſſum, quòd vnumquodque concretum chymica analyſi naturæ compage ſolutum, in medium promit talium elementorum multitudinē, vel ad horum naturam quàm proximè accedentes diſtinctas ſubſtantias.

147 *Qualitatum*] Non omnium qualitatum, ſed primarum. Antipatheticæ autē, vt & ſympatheticæ, temperamētum non conſtituit: quin potiùs ex temperamentis editæ à medicis & philoſophis pleriſque habentur.

148 *Temperamentū*] Non eſt proportio, ſed ex proportione, tanquam harmonicum quiddam natum, proportio autem eſt vnius ad aliud: temperamētum verò vnum eſt, ex pluribus proportione iunctis, proueniens.

149 *AEquale*] Haud Logicè definis temperamentum æquale (Scriboni) nam potiùs proprietatem æqualis temperamenti denotat, quàm ipſam definit, conueniens vnicuiq; ſubſtantiæ miſtio. Et hactenus qualis ipſa ſit ignoramus: itaq; ex miſtionis ratione, vt in inæquali poſtea feciſti, clariùs rē propoſuiſſes. Ergo ex aduerſo inæquali temperamento, intelligimus æquale eſſe, quod pari mixtione qualitatum ſuſtinetur. Hoc vnicuique ſubſtantiæ conueniens eſſe doces. Itane medicinæ atque adeo omnis philoſophię fundamenta conuellis? Conueniet itaque idem

temperamentum homini, cani, & leoni, & æquabiliter temperatos esse. quid ita? Quia æquale homini conueniet, quia substantię cuique conueniens, idem æquale esse dicis. Nā & ex definitionis natura, & ea iustitiæ lege debent ista reciprocari. *Temperamētum*] Erras: in viam redi (Scriboni) & medicos adi, docebunt te iustitiæ temperamentum inæquale, & propterea tot varietates pati, vt vniuscuiusque naturam sequatur.

150 *AEqualitatis*] Æqualitatis gradus nulli esse poterunt, in eo quod ęquis partibus, & pari mistione sustinetur. Nam si tantillum paritatē mistorum prætergrederis: continuò corruit æqualitatis ratio.

151 *Functionibus*] Non omnibus actionibus crasin metimur, sed eas tantùm, quæ crasi exercentur, cuiusmodi est nutritio, & hanc famulantes actiones. Sunt enim duum generum actiones hominum, vt & animalium reliquorum: craticæ, ex temperamento natæ, & diaplasticę, cōformationem partium & tertium vtranque postulantes atq; profecto hîc iustam medicis querelæ materiam præbes, qui physicus, & naturæ interpres, huius limitibus prætergressis, medicorū possessiones ita inuadas, vt nihil horum arti superesse sinas. Tolle nāq; valetudinis causas, signa, & corpora, (quod abs te sępius factitatū est) quid reliqui facies medicorū familiæ, liberis & nepotibus?

152 *Qualis*] Ita & prædicta æqualis, ex corporum substantia percipitur, bene habita, & suaui colore prædita.

153 *Actu*] Temperamentum omne actu inhæret, vt & qualitates singulæ, quas initio rerum agēdi facultates esse dixeras. Omnis autem facultas actu inhæret cui propria est, vires autem exerit, & in actum pro-

prorumpit, ex occaſione, vel à ſubiecto, vel aliunde oblata.

Hucuſque de communibus rerum concretarum affectionibus: ſequitur de earum ſpeciebus.

NAturæ igitur concretæ, vel brutæ ſunt, vel viuentes.

Brutæ ſunt eſſentiæ vita deſtitutæ.

Quales ſunt Meteora, quæ cum admiratione quadam in ſublimi præcipuè aëre apparent: vnde etiam ſublimia corpora nominantur.

154 *Materia meteororum eſt fumus calidus attractice virtute aſtrorum exuſcitatus atque euectus.*

Euehitur autem materia eiuſmodi ad tredecim tantum miliaria Germanica, vt probatiores optici vniuerſi oculariter demonſtrant.

155 *In hoc igitur aëris ſpatio omnia meteora generātur, nec altiùs euehuntur.*

Fumus iſte vel vapor eſt, vel exhalatio.

156 *Vapor eſt fumus humidior, ex aquis præcipuè extractus: ideoq; in aquam facilè iterum mutabilis.*

Exhalatio eſt fumus ſiccior è terris extractus, facilè inflammabilis.

Generantur autem Meteora è fumo, vel alterutro, vel vtroque ſimul iuncto.

Ex alterutro fumo orta proueniunt, vel ab exhalatione tantùm, vel ex vapore.

A ſola exhalatione oriuntur ignita vniuerſa.

De Meteoris ignitis.

IGnita Meteora ſunt exhalationes ignis inſtar verè exardeſcentes.

Hæc vel ſimplicia ſunt, vel mixta.

Simplicia ſunt, quorum ſimplex omnino eſt exhalatio.

Apparent autem eiuſmodi in parte aëris, vel ſuperiore, vel paululùm inferiore.

In ſuperiore aëre apparẽtia oriuntur ab exhalatione vel continua, vel diſcontinua.

Continua exhalatio eſt, cuius partes coniunctæ cohærent.

Eſtq; vel craſſior, vel rarior.

Craſſior, nimirum vel inæqualiter craſſa, vel æqualiter. Illius generis eſt ignis perpendicularis : huius verò Bolis, ſiue iaculum ardens.

Ignis perpendicularis eſt exhalatio inæqualiter craſſa, in ſupremo aëre, formam columnæ pyramidalis referens.

Bolis eſt exhalatio æqualiter craſſa, ſagittæ ardentis ab vna parte in aliam tranſcurrentis figuram reddens.

E continua rariore exhalatione oriuntur candela accenſa & ſplendor nocturnus.

Candela accenſa eſt exhalatio rara, & ſubtilis, quæ ex æquo dilatabilis continuè in parte ſuperiore accenditur.

Splendor nocturnus, eſt exhalatio rariſſima, & tenuis, in ſummo aëre accenſa.

Exhalatio ſimplex diſcontinua eſt, cuius partes magis diſperſæ ſunt.

Et quidem vel duæ tantùm, vel plures.

Duarum partium eſt Capra ſaltans : plurium verò ſcintilla volans.

Capra ſaltans, eſt exhalatio velut in duas partes diuiſa, longas quidem, ſed latiores, quæ ſcintillatione ſua quaſi ſaltare videntur.

Scintilla volans, eſt exhalatio in plures partes diſperſa, ſingulis ſeorſim inflammatis.

Ignita ſimplicia in inferiore aëre apparentia ſunt ſtella cadens, & ignis fatuus.

Hæc

Hæc enim propter minorem materiæ ſuæ caliditatem altius euehi in aëre non poſſunt.

Stella autem cadens eſt exhalatio ſuperius inflammata, & à nube iterum repulſa deorſum decurrens, vt cadere videatur.

Ignis fatuus, eſt exhalatio candelæ inſtar accenſæ oblongior.

Hæc ventis agitata decliuiora loca potiſſimũ petit: vnde noctu iter facientes, ſi eam ſequantur, in præcipitia feruntur.

Ignis ille fatuus, vel vnus eſt, vel geminus.

Vnicus vel ſimplex eſt Helena: Geminus, ſiue duplex, qui Caſtorum nomine dicitur.

154 *Fumus*] Fumus iſte, niſi meteorõ ſit: ad quam naturarum claſſem referas? Non natura eſt compoſita, cui ergo niſi meteoris accenſenda?

155 *Nec altius*] Cometæ, nobiliſſima meteora ſunt, & longè altiùs vniuerſa aëris regione efferuntur: etiam ſupra aliquas planetarum Sphæras nonnunquam viſi.

156 *Ex aquis*] Vapores non tantùm ex aquis, ſed etiam ex terris, & omnino reliquorum viuentium humiditatibus eliciuntur, cum vbique æquè pateant aſtrorum viribus.

Tantum de ignitis ſimplicibus: ſequitur de mixtis meteoris ignitis.

Ignita mixta Meteora ſunt, quorum exhalatio paululum eſt impurior.

Ob admixtionem enim cuiuſdam vaporis craſſior eſt, & viſcoſior.

Eiuſmodi ignita Meteora ſunt Tonitru, Coruſcatio, Fulmen.

TONITRV, *est exhalatio accensa cum sono è nubibus erumpens.*

157 *Sonus ille, siue strepitus, oritur cùm exhalatio siccior in nubibus frigidis per antiperistasin inclusa, compactas eas & densas violēter perfringit, vt fiat earum disruptio, fragorem edens.*

Eodem modo, quo in flamma ignis è ligno viridi arefacto & disrupto, strepitus aut fragor gignitur è pugna caloris & frigoris.

CORVSCATIO *est accensum tonantis exhalationis lumen, altiùs super terram resplendens.*

Hæc quamuis tonitru posterior sit, prius tamen apparet, eò quòd lux visionis longè celerior sit auditu, eiusq; facultate.

Coruscatio si non admodum sit luminosa, sed albicans magis, & ferè sine notabili fragore, Fulgetrum dicitur.

Albicans autem apparet propter maiorem subtilitatem.

FVLMEN *est exhalatio coruscationis spissior arctiusq; composita, vehementius, & prope terram magis inardescens.*

Fulmen si calore Solis intēsissimo, & sui ipsius induretur, lapis oritur, atque disiicitur fulmineus.

Acutus autem fit lapis fulmineus, quoniam siccitate superiùs conglutinata vapor admixtus effugere nitens ad inferiora tendit: ideoq; eam partem crassiorem facit.

Fulmen aliud subtilius est, aliud crassius.

Subtile est, quod ob tenuitatem tacta quælibet terebrando perforare solet, nullo notabili relicto vbiq; incendio: quare etiam siccum dicitur.

Fulmen crassius est, vel fuliginosum, vel simul vrens.

Fuliginosum, quod corpora, quæ transit, fuligine quadam relicta obfuscat.

Fulmen vrens, est quod ob crassitiei suæ terresteritatem multum ignis relinquit. quale hîc Corbacchij superiore anno 1581. *contigit, ubi audito tergemino fragore terribilissimo,*

prealtissima

prealtissima templi in veteri ciuitate turris incensa ad 50. ferè pedum longitudinem combureretur.

157 *Nubibus*] Nondũ tradita est nubiũ doctrina, neq; ideo definitionis lumen inde petendũ, nec tonitru exhalatio est, sed fragorem è nubibus editum denotat, potiùs quàm exhalationem accensam.

Hucusque de Meteoris ignitis: sequitur de Aqueis.

AQuea Meteora sunt vapores pleniùs constricti.
Apparent autem vel in medio aëre, vel in infimo.
In medio aëre fiunt nubes, & quæ ex nubibus oriuntur.

NVBES *est vapor extremo medij aëris frigore coniũctus.*
Si parua admodum sit, eaque sterilis, Nubecula dicitur.

158 *Suspenduntur nubes calore Solis eas attrahente.*

Motu autem ventorum huc illuc in diuersas partes sæpe agitantur.

In nubibus porrò diuersimodè à luminari alterutro illustratis varia efformantur idola: quæ quòd propriã materiam non habeant, sed in nubibus solùm videantur, Apparentiæ dicuntur.

Et idola eiusmodi conspiciuntur, vel directè sub luminaribus, vel ex opposito eorum.

Sub luminaribus oriuntur Parelij & Halones.

PARELIOS *est idolum Solis in nube splendidà & rorida, ad latus eius posita, à radiis refractis expressum.*

Et sic sæpe duo, interdum plures Soles conspiciuntur.
Idolum simile si sub Luna appareat, Paraselene dicitur.

HALONES *autem sunt circuli in nubibus luminosi, circa extremitatem nigricantes, similiter è radiis luminariũ reflexis generati.*

Quamuis autem Lunam vel Solem proximè videantur ambire: directè tamẽ sub iis in media aëris regione existunt.

Et frequentius apparet Halo Lunæ, quàm Solis: quoniam hic suis radiis materiam subiectam facilè potest dissoluere.

Idolum in nubibus Soli oppositum est Iris.

IRIS *autem est arcus varicolor in nube concaua, rara & inæquali, è radiorum oppositi Solis reflexione formatus.*

Si enim nubes in guttas resolui incipit: radij in eas, ceu in specula incidētes, refractione sua circularem figuram eiusmodi efficiunt.

Arcus autem, siue semicirculus tantùm fit, quia Iris generatur in opposito Solis, qui tempore apparitionis aut est in Horizonte, aut supra Horizontem, vt de lumine eius illud tantùm videatur, quod secundum angulos æquales ad vnum punctum axis pyramidis radialis reflexum est.

Eò maior autem Iris est, quò propinquior Sol fuerit Horizonti.

Si plures videantur Irides, posteriores fiunt è resplendescentia prioris: ideoq; sunt obscuriores.

Colores proinde Iridis sunt puniceus, viridis, cæruleus, & igneus, siue flauus.

Puniceus in extremitate arcus apparet, quia lumen in nube densiore, ideoq; nigricante refractum debilius est. Eiusmodi enim lumini debiliori, vaporis nigredo admixta puniceum colorem efficit.

Viridis oritur, quando lumen Solis nigredini vaporis exactiùs permiscetur, & pluribus vmbris, minusq; etiam & sub maiore angulo reflectitur.

Cæruleus apparet, qui ex vaporis multitudine & pluribus vmbris miscetur: præsertim ob debilem visus nostri aciem, qui id quod in nube atrum est, cæruleum iudicat.

Flauus oriri videtur è collatione punicei & viridis, siue porracei.

159 *Omnis porrò Iris pluuiarū prænuncia est: quoniam indicat*

indicat plurimos resolui vapores, è quibus breui generandæ sint pluuiæ.

158 *Calore*] At media aeris regio, nubium officina, frigore gelida, omnem vim solis retundit, neque eò Radij solares reflexi eiusmodi suspensionis authores esse poterunt. Supernè autem minimè refracti, calefacere nequeunt, neque ideo tam ingentem nubium vim suspendere.

159 *Prænuntia*] Alienum, vt omne genus prognosticum.

Et hæc de Nubibus, earumq; idolis: sequitur de Meteoris, quæ ex nubibus resolutis oriuntur.

ORta è nubibus Meteora vel liquida manent, vel denuò constringuntur.

Liquida Meteora è nubibus orta, sunt pluuiæ.

160 Plvvia *est nubes liquefacta, & in aquam guttatim destillatam resoluta.*

Hæc si copiosior cum impetu decidat, Imber dicitur.

Pluuiarum guttulæ maiores sunt, si propior fuerit nubes liquefacta: ex altiore enim loco decidentes magis magisq; disperguntur: ideoq; minores fiunt.

Pluuiæ autem ranarum, piscium, lactis, carnis & aliæ, è simili illarum rerum materia sursum euecta, & cum pluuiis iterum decidente oriuntur: sicut è putridis animantium cadaueribus, aut excrementis vermiculi, aliáue animalcula æstiuo tempore proueniunt.

Meteora è nubibus resolutis rursum constricta, sunt nix & grando.

161 Nix *est nubes pluuiæ quidem præparata, sed quæ ante descensum molliter denuò conglobata ventorum agitatione in floccos distrahitur.*

Quamuis autem pluuiæ nubesq́; omnibus temporibus exoriri poſſint, hyeme tamen ſolummodò nix decidit: eò quòd aer tum rigeat, & materia nubium non poſſit in aquas pluuias conuerti.

GRANDO *eſt pluuia in deſcenſu rurſum conſtricta: imperfectior ſi ſit, Granula dicitur.*

Grandines ex altiore loco deſcendentes rotundiores & minores ſunt, quia in deſcenſu paulatim liqueſcunt.

Grandinat autem Vere potiſſimùm & Autumno, Hyeme nunquam, aut quàm rariſſimè, eò quòd vernali tempore, quando cœlum calidius eſt, maiora fiunt ſtillicidia, quæ ab aere iterum frigidiuſculo conſtringuntur.

160 *Liquefacta*] Annon potius nubes in aquam concreſcunt, & denſiores redditæ, decidunt in pluuias, vt in ſtillatorij capitello videre eſt, vaporibus calore ſurſum actis atque denuo in roſtrum capitelli ſtillantibus?

161 *Nubes*]Non nubes, ſed ex nube. neque dum de ventis quicquam accepimus.

Hucuſque de Meteoris aqueis in medio aere apparentibus.

IN *infimo aere genita aquea meteora ſunt ros & pruina.*

ROS *eſt vapor cum terreſtri modico condenſatus, & decidendo mox in aquam reſolutus.*

Ros æſtate ſolùm decidit, quia tum exorientis protinus Solis calore materia vaporis iterum diſſoluitur.

Roris ſpecies viſcoſior & pinguior, melli liqueſcenti ſimilis, quæ ſplendente Syrio maximè ab arborum foliis colligitur, manna eſt: quæ idcircò etiam Mel ſylueſtre dicitur.

Manna iſta ſi à calore Solis indurata in grumos concre-

ſcat

ſcat, & granuloſa fiat, Arabico vocabulo Tereniabin, *& Manna coagulata appellatur.*

PRVINA *eſt vapor roridus magis magiſq́; antequam in aquam reſoluatur, congelatus.*

Vnde hyeme apparet: cuius nempe frigore materia eiuſmodi vaporoſa fortiùs rurſum conſtringitur.

Tantum de Meteoris ab alterutro fumo ortis: ſequuntur quæ ab vtroque ſimul iuncto proueniunt.

M*Eteora ab vtriuſque fumi coniunctione orta ſunt venti & ventorum genera.*

VENTVS *eſt fumus ſubtilis in medio aere, qui à frigore deorſum repulſus lateraliter ſupra terram mouetur.*

Lateraliter autem mouetur, quia exhalationes deorſum pulſæ propter leuitatem ſuam non è directo deorſum feruntur.

Venti principales duodecim ſunt, à ſingulis mundi cardinibus terni ſpirantes: qui omnes quidem pro materia ſunt calidi & ſicci: ſed propter ſitum locorum diſcrepantes.

Ab Ortu, Cæcias, Subſolanus & Eurus.

A Meridie, Libonotus, Auſter, Phœnix,

Ab Occaſu, Corus, Zephyrus, ſiue Fauonius, & Aphricus.

A Septentrione, Aparctias, Boreas, Circius.

Ventorum copia ſi ingens ſit, ac maiore incurſu terræ ſuperillata aerem obſcuret, Procella dicitur.

Sin prope terram vel maria proxima quæque proſternat, raptaq́; ſurſum attollat, Turbo dicitur.

Sin mediocris tantum ventus aerem ventilet, Aura dicitur.

162 *Genera*] Diuiſionem hanc non capio (Scriboni) venti & ventorum genera: neque ſub vno genere vt coeant intelligo. Nam phyſicè ventorum genera venti ſunt & venti ventorum genera.

Hæc de Ventis: ſequuntur Ventorum genera, nempe Terræmotus.

163 TERRAEMOTVS *eſt fumus in terris contentus, eaſq; dum exitum non inuenit, concutiens.*

Fit autem vel ſecundum latitudinem terræ, vel ſecundum profunditatem.

Secundum latitudinem fit tremor, quando terra ita inclinat, vt ædes, mœnia, turreſq; decidant.

Secundum profunditatem fit, tum hiatus, tum pulſus.


HIATVS *fit, quando terra omninò dehiſcit, abſumptis & deuoratis mœnibus & ædificiis.*

PVLSVS *eſt, cùm terra intumeſcens eleuatur.*

Intumeſcens autem vel montis inſtar eleuata manet, vel denuò ſubſidet.

163 *Terræmotus*] Quod verò ſequenti capite terræ motum, meteoris annumeres, eumque terræ viſceribus concluſum: ſalua meteori lege, & nominis etymo, nulla arte tueri potes: Motum verò fumum dicere, vel maxime inuerecundas hyperbolicas καταχρήσεις longè ſuperat. Atq; eiuſmodi ſunt, Scriboni, quæ denuo & ſæpius in primo Phyſicæ inſtitutionis libro, recognoſcenda etiam atque etiam.

IN



IN G. SCRIBONII PHYSICAE LIBRVM II.

Animaduersiones Tymothei Brighti Cantabrigiensis.

De Naturis Viventibus.

164 NATVRAE *viuentes sunt essentiæ corporatæ, anima vegetante prædi-tæ.*

165 ANIMA *vegetans est facultas vitam corporibus præstans,*

166 *Quãdiu igitur vel particula huius vires suas in corpore aliquo exercuerit, tamdiu in viuis & saluum illud permanet.*

167 *Potissima autem operatio eius, adeoq; ipsa vita, consistit in conseruatione vel singulorum corporum, vel totius generis.*

Singulorum corporum conseruatio est nutritio.

168 NVTRITIO *est alimenti assumpti ad corpus nutriendum assimilatio.*

Alimenti nomine venit omne, quod assumptum corpora nostra sustentat: è quo genere etiam cum aliis aer est.

169 *Ad nutritionem verò perficiendam requiruntur virtutes ancillantes, tum concoctio, tum concoctionis comes.*

170 CONCOCTIO *est subactio & alteratio alimentorum.*

Fitq;

Fitq́; à calore partium nutriendarum, vel moderato, vel auctiore.

A moderato calore fit maturatio.

Maturatio est concoctio alimenti in humido.

Quò melius igitur, & magis probè humidum cum calido distemperatum fuerit, eò citior & perfectior fit maturatio: vt in æstate nimis arida, aut nimium etiam pluuiosa terrarum crescentia ægriùs & tardiùs maturantur.

Concoctio ab auctiore calore orta est vel elixatio, vel assatio.

ELIXATIO *est concoctio, humidum aquosum vel crassum, calore etiam humido fortiori subtiliùs elaborans. Eodem propemodum modo quo carnes elixantur in aqua bulliente, siue feruida: cuius calor humidus spumosam carnium humiditatem alterat, & absumit.*

171 *Imperfectior si maneat elixatio, Flacciditas nominatur: alimento propter caloris humidi imbecillitatem non subtilescente. Is enim inchoatam coctionem absoluere haud potis est.*

172 ASSATIO *est concoctio mediante calore sicciore humidum alimenti extinguens, & pleniùs consolidans.*

Si lenior sit induratio aut consolidatio corporum, Condensatio dicitur.

Condensationi subijciuntur coagulatio & congelatio.

Coagulatio est partium siccarum cum humore fortior conglutinatio.

173 *Congelatio est partium fluidarum plenior induratio, atque compressio.*

174 *Concoctio proinde si prorsus vitiosa sit, putredo dicitur.*

175 *Putredo enim est alimenti concoquendi ab externo calore orta corruptio.*

Putrescunt autem faciliùs calida & humida, maximè si cor-

ſi corpora non ſint tranſpirabilia: vt in locis noſtris ſubterraneis poma citiùs putreſcunt, ob aerem vaporoſum, calidum & humidum.

In partibus enim corporum obſtructis calor non ventilatus augetur, & immoderatior redditur: vnde oritur inflammatio, quam deinde ſequitur putredo, quæ & ipſa maiorem ardorem parit. Vt in Myſia olim domus integra conflagrauit, ex ſolo ſtercore columbino putrido, quod ab ardenti Sole pleniùs inflammatum feneſtræ proximæ ſuum incendium communicauit.

164 *Vegetante*] Vegetans facultas (Scriboni) haud in omnibus viuentibus animæ rationem obtinet, niſi humanam naturam tergeminam obtinere animam arbitreris: cui præter vegetantem vim, & ſenſus, rationis facultas accedens, à cæteris Naturis hominem diſtinguit. Præterea vegetari vita poſterius eſt, ideo neque inde viuens Natura definienda.

165 *Facultas*] Dederas initio libri primi tanquam affectionem omnibus Naturis communem facultates: hîc verò non exiſtentis iam Naturæ viuentis qualitatem, vel facultatem doces: ſed rei naturæque formam. forma autem alia atque rei affectio eſt, extra eſſentiam poſita. *Corporibus*] Neque animâ corporibus tantum vita præſtatur, ſed viuenti corporatæ Naturæ, niſi forte ſtatuas formam, materiæ formam eſſe, non rei materia formaque conſtantis.

166 *Particula*] Difficile admodum animam partiri (Scriboni) & huius pondus, & menſuram noſſe, omnem Arithmeticæ, vel Geometriæ rationem longè ſuperat.

167 *Corporum*] Non ſingulorū corporum, ſed Naturarum. Propagatio namq; naturæ eſt, non corporum tantum.

tantum. *Totius*] Totum genus conſeruatur, ſingulorum corporum tutela æque atque Naturæ propagatione: neque propagare eſt genus conſeruare: ſed aliquid in lucem edere, aliis artibus conſeruandum. Poſtea pag.69. metalla in vegetantium naturam cogens: hæc meminiſſe debueras, Scriboni: propagationem generis nec metallis, nec lapidibus, & generationis inſtrumentis, & ſemine deſtitutis conuenire. quod ſi fecerunt, & arando, & ſerendo & quouis alio modo corpus & animum verſando, auari mortales quantumuis ſeduli agricolæ induſtriam (quò læta arrideat aurea ſeges) infinitis partibus ſuperarent, ſed ſecus longè ſe res habet, (Scriboni) nec metalla aliter quàm nutrimento ſeſe, genuſque ſuum tuentur.

168 *Nutritio*] Non eſt *Aſſimilatio* ſed ex aſſimilato nutrimento indigentiæ naturalis expletio. corpore namque & ex calore ſuo, & ex variis vitæ actionibus continenti fluore, digeſto nutrimento reparat quod exhauſtum natura: Aſſimilatio autem nutrimento præparando vltima eſt naturæ actio: quæ munere perfuncta, & nutrimento elaborato fruens, reſarcit quod affluxerat, & collapſam reparat corporis ſubſtantiam, quam refectionem, dicimus nutritionem, non illam Naturâ priorem alimenti aſſimilationem.

169 *Aer*] Ain'tu? Itane omnes viuentes naturas in cameliontas mutabis (quanquam & hij ſolidiore nutrimento victitent) vt ex aſſimilato aere auctiorem corporis molem arbitreris? augemur autem quibus alimur: quod autem aſſimilatur tandem, omnes naturalium facultatum ſubactiones ſubire neceſſe eſt, quas omnino fugiet aeris tenuitas, nec fibris rectis allicitur, nec obliquis continetur, nec denique ſimplex

plex

plex exiſtens, corpori compoſito dat incrementum. Neque inde quia ſpiritibus fit pabulum, ideo aſſimilatione fit familiare. quòd enim tua arte aſſimilatum foret, id coquendum in humido, vel elixandum, vel aſſandum: quorum omnium aer nihil ſuſtinebit. Memineris (Scriboni) paulo antè, libro primo te aerem alteram rerum concretarum matricem docuiſſe. Hîc verò diſcipulo confirmas, omnes viuentes Naturas (viperinum genus) matris aluum non erodere tantùm, ſed helluones ſeſe ex maternis viſceribus, contra fas iuſque Naturæ, ingurgitare.

170 *Alteratio*] Non quælibet alteratio, & ſubactio, ſed certa quædam, à natiuo calore dominante abſoluta: etenim corruptio alteratio quædam eſt, neque tamen coctio aliqua.

171 *Flacciditas*] Flacciditas potiùs ventriculi laborantis affectio eſt, quàm actionis vitium. Neque omnibus viuentibus Naturis (vt nec ſtirpibus, nec metallis) commune: proptereaque per legem iuſtitiæ & ſapientiæ, pro nullo artis axiomate habendum.

172 *Aſſatio*] Mirificam tu Culinariam in phyſicis exerces (Scriboni) qui & aſſari & elixari in corpore vis nutrimenta, addidiſſes veru, craticulam, ollas, & ita demum cunctis Naturis viuentibus inſtruxiſſes culinam.

173 *Congelatio*] Calore, neque eo moderato, ſed vehementi, congelari quid, ante te (Scriboni) nemo vnquam literis prodidit phyſicorum. Neque tu facilè (credo) vel diſcipulis tuis perſuaſeris. Eſt enim congelatio frigoris, non caloris opus.

174 *Vitioſa*] Atqui concoctio vitioſa eſſe poterit,

nulla tamen ſubſiſtente putredine. vt ex igneo ventriculi calore quæ præter modum aſſantur: non putredinem, corruptam tamen concoctionem arguunt. Putredo namque ex calore alieno in humido operante naſcitur: & potius venenatam, atque deleteriæ cauſæ vim ſequitur (viuo animante) quàm calorem vel auctum, vel imminutum. ideo namque vnumquodque putreſcit, quòd illa pro ſale anima deſtituitur: huic verò ex aduerſo venena tantum pugnant non calidum, nec frigidum, neque primarum qualitatum aliqua.

175 *Putredo*]Haud Phyſicè, neque ex lege ſapientiæ putredinem ex alimenti corruptione definis, quę omnium rerum concretarum humidarum vbi calorem alienum admiſerint, vel illo ſale deſtituuntur, eſt communis. Non enim alimentorum tantùm putredo eſt: ſed omnino corporum alimento indigentium: neque prorſus vlla exiſtit concreta Natura Putredinis immunis.

Tantum de Concoctione: ſequuntur Concoctionis comites.

Comites concoctionis ſunt virtutes concoctioni commodiùs abſoluendæ inſeruientes.

Ex his alia præcedens eſt, alia ſequens.

Præcedens concoctionem virtus eſt, tum attractio, tum retentio.

176 ATTRACTIO *eſt virtus conuenientis alimenti materiam ſuppeditans: qualis attrahendi facultas maximè elucet in iis rebus, quæ ſurculos & telorum cuſpides præaltè nonnunquam in carne infixas attrahendo euellunt.*

177 *Hanc*

177 *Hanc manifestißimè etiam videre licet in tritico: si enim vasa fictilia aquæ plena in tritici aceruo recondas, id humorem in se per fictilia euocans omnem, tum molem, tum pondus sibi adiicit: vt maiorem putetur trahendi ad se vicini humoris facultatem obtinere, quàm vel vehemens Solis calor.*

RETENTIO *est virtus, alimentum, donec concoquatur & nutriat, in corporibus retinens.*

Retentum ita nutrimentum primò adiungitur membris, & fit appositio: deinde vnitur, & fit fortior agglutinatio.

Et vis hæc in maioribus, atque cauis instrumentis, siue partibus, magis conspicua cernitur, in reliquis est obscurior.

Comes concoctionem sequens est expulsio.

EXPULSIO *est virtus, facta concoctione alienum & inutile recrementum propellens.*

Diutius enim retentum excrementum putresceret, & continentibus partibus infectum redderetur.

Expulsio eiusmodi fit vel intra corpus ex vna parte in aliam, vel extra corpus.

178 *In corpore semper fortiores particulæ aliena protrudunt ad imbecilliores, donec ad imbecillißimas sit deuentum.*

179 *Quò autem tenuiora aut liquidiora illa fuerint, in corporibus præsertim rarioribus, eò citiùs ac promptiùs: quò crassiora & magis tenacia in corporibus maximè obstructis, eò tardiùs delabuuntur.*

176 *Surculos*] Quæ surculos, & telorum cuspides attrahunt, nequaquam hanc attrahendi vim explicant, neque enim his alimenta sunt, neque attractis fruuntur. sed potiùs à carne ex medicamento sarcotico succrescente, protruduntur. extracta enim corpore, nullam eiusmodi cum ferramento fami-

liaritatem ostendunt, & perinde se habent ad omnia infixa?

177 *Fictilia*] Admittit potiùs quàm attrahit, neque supradicta attrahendi virtus tritico iam extra solum mortuo, vel saltem viribus sopito (cùm antea definieris vegetantis Naturæ opus esse) accommodari potest. Semen autem vegetans Natura non est, sed vegetantis naturæ exordium, propagationi destinatum.

178 *Imbecilliores*] Purgandorum in corporibus secundum naturam constitutis, longe alia ratio excrementorum est: neque enim horum, ex partium robore, vel imbecillitate, traiectio pendet: sed ex nutriendi ineptitudine, & locorum conferentium ratione. Corpore secundum partium aliquam imbecilli, regurgitant forte aliò quàm res Naturæ postulant excrementa, vel quantitate, vel qualitate molesta: at verò secundum naturam constituto, valido, atque valente, quod huic reiicitur alienum, id rapit pars alia tanquam familiare: quo ex saturata reliquum alteri impartit, Naturæ meatibus conferentibus: atque demum exhaustum prorsus almo succo, corpore toto tandem excluditur. Atque excrementorum expurgandorum ratio ita habet. nam intra corpus retentricem facultatem remittentibus partibus, auidè rapiunt ad se aliæ, & emulgent quod adhuc restat in alterius excremento alimentosum: dictante rerum Natura: hinc bilem vesica sugit, melancholiam lien, serum renes, etiam chylum mesaraicæ, è ventriculo excrementum tanquàm inutile.

179 *Autem*] In certis, crassa tenuibus faciliùs excernuntur. catarrhosa namque ex capite destillatio

tio pulmoni negotium facessens, & tenuitate spiritus ansam fugiens, incrassata primùm, tumque cocta post minore negotio exploditur à Pulmone, quàm liquidum, ac tenue.

Et hæc de Virtutibus ad nutritionem requisitis: sequitur de adiuncta illi Auctione.

AVCTIO *est corporis in omnem dimensionem integra continuatione ampliatio.*

Hæc igitur vnumquodque corpus secundum omnium partium latitudinem, longitudinem & crassitiem quoquo modo versum porrigit, ac profert.

181 *Altricem verò virtutem tantum ad certum temporis interuallum & ad vigorem vsq; ætatis à natura præstitutum insequitur.*

182 *Postea vt maximè corpus abundè nutriatur, hæc tamen augendi facultas desinit: & vel languida sæpe existente nutriendi potentia ipsa per se subsistit.*

180 *Adiuncta*]Pariter(Scriboni)nutritio,& auctio à vegetante facultate oriuntur; neque hæc alterius adiunctum nominari debet. nutriuntur enim corpora quamdiu in viuis agunt: crescunt verò tamdiu minimè: sed certum incremento terminum natura habent, quem præterire nequeunt dentibus exceptis. non ergo huic adiuncta est, sed facultas tempore, & natura nutritioni æqualis, atque certè, si ex alterius ad alterum vsu adiunctum metiendum foret, potiùs nutritio auctioni, quàm hæc illi inseruiret. augescentia enim omnia nutriuntur, & ad incrementum, alimento, & alen-

di facultate opus habent: incrementum verò, & auctrix virtus, nil commoditatis nutritioni affert.

181 *Certum*] At dentes ſemper augentur, neque ætate incrementi certum tempus habent, quin fracti denuo augeſcunt, niſi enim aliarum partium ſtato incremento eximerentur, continuò & inter ſe, & durorum attritu tandem nulli eſſent: ergo dentes poſt vigorem ætatis molis incrementum habent.

182 *Deſinit*] Facultas nunquam interit, cùm formæ congenita vis ſit, eique eſſentialis proprietas, ſeſe verò haud ſemper explicat, nam materia idonea deſtituta (aliàs nunquam otioſa) cogitur interdum otiari.

Hucuſque de prima ſpecie facultatum Animæ vegetantis: ſequitur altera, nempe conſeruatio totius generis, quæ dicitur Generatio.

183 GENERATIO *eſt facultas corporis, ſimilem illius ſpeciem procreans.*

Sicut ex ouo generatur pullus, gallinæ priori, ex qua ouum illud deſumptum fuit, ſecundum formam omninò ſimilis.

Hæc nimirum efficit, vt omnia viuentium genera in rerum vniuerſitate conſeruentur.

Quamuis enim plantæ plurimæ, animantiaq; etiam multa indies pereant: attamen ſemper ſimiles plantæ ſimiliaq; animantia reperiuntur.

184 *Obie-*

184 *Obiectum generationis est semen cuiuslibet corporis prolificum.*

185 *Administræ huius facultatis virtutes sunt tum immutatiua, tum plasmatiua.*

186 *Immutatiua est, quæ semen in partes corporis generandi transmutat.*

Plasmatiua est, qua corpus ipsum distinctiùs efformatur, vt separatam formam acquirat.

183 *Corporis*] Facultas corporis nulla eiusmodi est, sed animæ tantùm, vel potius totiùs naturæ. ab anima namque omnes tam nutritionis, quàm generationis manant virtutes, magis tamen Physicè (mea sententia) generatio est Naturæ opus, anima corporeque constantis.

184 *Semen*] Non semen tantùm prolificum (nam intelligis seminis nomine Naturæ fructum quendam, futurum similis Naturæ fundamentum) sed & radix, in nonnullis ramus, surculus in aliis, etiam in aliquibus gemma atque folium, vt nil semine opus sit, Natura seminali virtute contenta, per omnes vndique stirpium partes diffusa.

185 *Immutatiua*] Et hæ facultates perinde sunt Nutritionis administræ. nam sine immutatione assimilatio nulla fit, nec sine plasmatiua, corporis character potest consistere.

186 *Transmutat*]In quamnam præterea substantiam aliam semen mutari vis? cùm vltimum illud sit in quod vnumquodque nutrimentum mutari queat? Partes ex semine tanquam ex proxima materia fiunt, ex quo sensim durescente, membra finguntur vniuersa: quod ex primo corporis figmento apparet, semine in vterum rapto, vel matricem nacto idoneum, fit inde edendæ Naturæ materies, quo figurato

Plasmatiua virtute, surgit futuri corporis adumbratio, quæ tandem apposito nutrimento solidiore, & siccitate crassescens, euadit in corpus solidum, omnibus numeris, & partibus instructum, & in perfectam speciei naturam.

187 Explicata communi viuentium facultate, Anima videlicet vegetante: sequitur de naturarum illarum speciebus.

188 NATVRAE *viuentes, siue animatæ, vel absolutè sunt animatæ, vel quodammodo.*

189 *Quodammodo vel imperfectiùs animatæ sunt metalla.*

De Metallis.

190 METALLA *sunt corpora imperfectè animata in venis terrarum decocta.*

Metalla vel ductilia sunt, vel minùs ductilia.

191 *Ductilia, quæ duci & resolui possunt, vel prima sunt, vel ab his orta.*

192 *Prima siue suæ originis sunt Sulphur & Mercurius.*

SVLPHVR *est pinguedo terræ, igneo calore ad indurationem excocta.*

Vnde etiam propter ingentem pinguedinis copiam in se contentam, & maximam vim ignis, velocissimè vel in aquis feruentibus inardescit, & accenditur: citiùs quoque quàm vllius animantis seuum. Hoc enim, etiamsi sulphure pinguius sit, multò tamen est illo frigidius.

193 Et

193 *Et ob pinguem similiter siccitatem omnis generis scabiei: item lepræ, & aliis cutis affectionibus illitum conuenit.*

Præferendum autem in primis Sulphur fossile, quod viride & pellucidum est.

194 MERCVRIVS *est aqua viscosa purissimæ albicanti terræ coadunata.*

Metallum hoc ob materiam, ex qua constat, videlicet aquæ & terræ partes purissimas, tenuissimum, frigidissimum & grauissimum est.

Et propter grauitatem illam suam, eiq; coniunctam rotunditatē perpetuò mobilissimum est: ob quem motum etiam Mercurius viuus, siue Argentum viuum dicitur.

Tenuitas eius facit, vt corium etiam ceruinum, vel crassissimum, penetrare possit: item vt alia metallica vasa vniuersa perforando erodere soleat.

Si aurum eo illiniatur, oui etiam cortice fragilius euadit. Vidi cyathum argenteum, in quo aliquandiu Mercurius viuus repositus erat, cemento vel mobilissimo similem factum esse.

Hanc ob causam ligneis vasculis tutius, quàm metallicis, conseruandus committitur.

E primis orta metalla vel puriora sunt, vel impuriora.

Puriora sunt Aurum & Argentum.

AVRVM *est metallum è sulphure rubeo subtilissimo purissimoq;, ac simili Mercurio factum.*

Metallum hoc ob exquisitissimam principiorum suorum commixtionem, vt tenuissimum, ita solidissimum quoq; existit: cuius substantia nec terra, nec aqua, nec aere corrumpitur: nec igne etiam comburitur: sed magis magisq; in eo perpurgatur.

Ob tenuissimam porrò soliditatem præ vniuersis aliis mineralibus maximè molle est, & ductile.

Optimi

Optimi igitur valoris fuerit, quod rubicundius & splendidius est: itemq́, mollius, vt facilimè duci possit.

Experientia docuit tertiam partem vnius grani, filum circumuestire posse 134. pedes longum: & si super argenti bracteas malleolo extendendum sit, vnam solummodo auri unciam octo argenti pondo contegere.

Admiranda autem magis auri natura est, cõtra diem circa diluculum frigescere: adeò vt aureos annulos in digitis suis gestantes inde deprehendere possint quando diescat.

195 *Reperitur hoc metallum in montibus Arabicis: item in aliis fodinis, puteis, fluminibus. Similiter in Turtarum capitibus.*

Laudatissimum etiam hodiernis temporibus effoditur in monte Terrato, proximè ciuitatem Corbacchianam.

ARGENTVM *est metallum ex puro albo Mercurio, & sulphure similiter claro & albicante genitum.*

Minerale est similiter vt aurũ, à quo colore propemodum solo differt, omninò purum. Aurum videlicet est, nondum exquisitissimè à natura elaboratum: puritate alioquin sua, item firma soliditate & tenuitate illi propinquissimum.

Tenuitatis quidem ratione vna argenti vncia extendi potest in pedes ter mille ducentos, seu brachia nostra 240. vt vix ab auri tenuitate distingui possit.

Quamuis interim si subtilissimè ducatur argentum, auro ferè centuplo crassius sit.

Argentum vbi reperitur, varias species capillorum, arborum, virgularum, piscium etiam integrorum, serpentum, scorpionis, aliarumq́ rerum imaginem præ se ferre consueuit.

Impuriora metalla sunt, quæ ex copiosiore vel sulphure vel Mercurio constant.

E sulphure copiosiore proueniunt æs & ferrum.

AEs est metallum è sulphure crasso rubeo & Mercu-

rio

rio paululum impuriore genitum, quod à Cypro insula, vbi copiosissimè prouenit, vulgò etiam Cuprum dicitur, quasi Cyprium.

Materia æris plus quàm cæterorum aduritur: ideóque etiam diutius perseuerat, magisq; idoneum est construendis operibus. Absque omni siquidem humore, & à rubigine semper tuta est, siue aquis immergatur, siue sub terris sepeliatur.

AEri cognata sunt mineralia Vitriolum & vitrioli species.

VITRIOLVM *est minerale fossile humoribus stillatim in cuniculos quosdam colatis concretum, & vitri modo pellucens.*

Aliàs Chalcanthum & Atramentum sutorium.

Qualitas eius calida est & sicca in quartum vsque gradum, cum vehementissima adstrictione: vnde omnium maximè carnes humidas condire & conseruare potest, & carnem sanam in putridis vlceribus progignere, sanguinémque sedare.

Est autem aliud cœruleum, aliud luteum.

Eligitur ex vtroque Babylonicum, intrinsecus maculis albicantibus distinctum.

Vitrioli species sunt Misy, seu vitriolum Romanum: item Chalcitis, quæ spuma vitrioli definitur.

De factitiis æris speciebus propter ἑτερογενεῖαν artificialium & naturalium hisce præceptis nihil additur. Si enim æs excoquitur, fit Chudmia: si vritur fit AEs vstum: si extinguitur, fit Flos æris: si excuditur, Squama æris nascitur. Pompholyx est extincta metallorum fauilla candida, summis fornacum caminis ahhærens. Spodium est fauilla eiusmodi, nigricans, quæ propter ponderositatem decidens circa fornacem colligitur.

198 FERRVM *est metallum è Mercurio immodico & sulphure spissiore vtroque impuro & adurente genitum.*

Reperitur

Reperitur hoc in suis fodinis instar massæ alicuius, aut instar granorum. Fodinæ autem eius, vt omnium antiquissimæ, sic in Germania quoque primæ fuerunt.

Ferrum quamuis duritiem maximam contraxerit, emolliri tamen potest succo corticum fabæ, aut maluæ, si in eo extinguatur. Et fila ferrea si ignita per se refrigerentur, adeò ductilia euadunt, vt ad vinciendum res quaslibet lini vice vti possis. Si verò in aqua frigida ferrum candens sæpe abluatur, fragile & omninò durum redditur.

Metalla è copiosiore Mercurio orta, sunt plumbum & stannum.

PLVMBVM *est metallum impurius è Mercurio admodum impuro, crasso & fæculẽto, & sulphure similiter impuro genitum.*

Hoc ob maiorem impuritatem nigrescit: si verò plenius elaboretur, candidius euadit.

Plumbum locis humidis sub terra sepultum, & magnitudine & pondere augetur: imò omne plumbum sua sponte extra terras adhuc crescere creditur. vnde à nonnullis sub dio tempore pluuioso reponi solet, vt à pluuiarum humiditate ponderositatem contrahat.

199 *Frigidæ admodum & adstringẽtis naturæ est: ideoque minus salubre.*

Ob eandemq; causam minus etiam commoda & salubria sunt vasa è plumbo parata, quibus res hominum corporibus assumendæ reponi debent.

STANNVM *propriè dictum est metallum è Mercurio albo in superficie & rubeo intrinsecus, & sulphure non bene commixto natum. Est videlicet quasi plumbum argento dealbatum.*

187 *Communi*] Nunquã cum aliis naturis, generatricem facultatem metallis, (saltem adhibito in cõsilium iudicio) communem dices. Hæc enim semine destituuntur:

destituuntur : neque horum aliud ex alio nascitur, sed huius vnaquæque excocta vena, singulare indiuiduum manet : nec seritur, nec metitur, nec spem facit nouæ frugis.

188 *Quodammodo*] Quæ omnino animantur, absolutè animentur necesse est (Scriboni) cùm anima ipsa rei perfectio sit, & absolutio neque magis aut minùs admittat. Reuera non tam manifesta edunt vitalia opera ipsa metalla, cùm tardiùs crescunt: nihilo tamen minus & ipsa æquè atq; cætera animata sunt, ignobiliore tamen, & inferioris ordinis anima prædita.

189 *Imperfectius*] Cùm absolutè animata primum diuisionis membrum feceris, cur eo postposito, imperfecta primùm doces, vel saltē cur posterius præposuisti?

190 *Decocta*] Etiam ex Marcasilis, & certis glebis decoquuntur artificis industria.

191 *Resolui*] Aliud est duci, aliud resolui, ducuntur malleo, resoluuntur igni, vel aqua forti, caustica, & rodenti virtute prædita.

192 *Sulphur & Mercurius*] Neutrum horum ductile est, Scriboni. Sulphur enim friabile est, nec mercurius sustinet ignem, nec malleum: igni agitur in fumum, & subsiliens mallei ictum fugit.

Omnis generis] Continet reuera physica basim reliquarum artium omnium? Nam circa naturam versantur hæ, quatenus vel mensurabilis, vel numerabilis, vel mobilis loco, & in hominibus quatenus sanus ille, vel æger, sedatus vel perturbatus, pacem agat vel denique belligeratur: denique singulæ in natura aliquid excipiunt perficiendum, vel ornandum, vel alio quolibet vsu ad humanam necessitatem applicandum.

plicandum. Quid igitur? Ideone (salua lege iustitiæ) omnes reliquas artes in vnam physicam scientiam congeremus? Nequaquam. Sed hæc tanquam truncus esto, reliquæ quasi rami pulcherrimam & admirandam omnibus cyclopaidiæ arborem compleant, ita singulas distinctas disciplinas tenebimus: & faciliùs è singulis aureis illis hesperidum malis, longè nobiliores fructus decerpemus. Ergo (Scriboni) siue lepræ, siue scabiei, siue morbi cuiuslibet curam medicis concede, quorum est & de re, & de remedio præcipere, & docere hæc, & opere factitare.

194 *Aqua*] Valde longè petitum genus Mercurij, aquam proponis. Metallum potiùs, & clariore doctrina dixisses. Quæ autem deinceps numeras gesta mercurij, historica sunt, non physica præcepta. Neque video cur non æquè vel Alexandri, vel Cæsaris stratagemata in hominis physica memores, atque Mercurij in metallica.

195 *Montibus*] Est istud chorographicũ, locorum cõmoditates notare: & extra omnem physicæ scientiæ limitem positum.

196 *Copiosiore*] Copia vel inopia alterutrius principij: quo tandem modo impuritatem faciat? Principia enim essentiam continent, & congenita sunt, impurum id est, quod alieno admistum est, nec sincerum.

197 *Cognata*] Est istud præcipitio ruere, non transitione tanquam gradu descendere. Nam antè nil dum de vitriolo aut vitrioli speciebus suspicati sumus. Neque quo ordine ad æri cognatos prolaberis, vel quonam cognationis gradu vitriolum loces, ex methodi lege intelligimus. Nam vel alterutram speciem continet, vel affectio, & proprietas quædam

quædam eſt, quod methodicè alteri ſociatur. Aeri ferrum impuritatis ſocium copulaſti, affectio autem omnis rei ineſt accidens cuius affectio habetur, vitriolum verò aeri haud ineſt. Ergo huius aliud quid quàm affectio cenſendum: quæ poſtea de eſcharotica vi vitrioli tradis, aliena ſunt: & medicorum propria. Qui vitriolo catharreticam vim vt conceſſerint, ob vehementem ſiccitatem, & calorem, eſcharoticam tamen nunquam dabunt.

198 *Adurente*] Mercurium (alterum metallorum parentem) huius capitis initio frigidiſſimum metallorum ſtatueras. Cur ergo & qua doctrinæ conſtantia, hîc adurentem vocas?

199 *Salubre*] Certè ſi plumbum eſſe velis, Scriboni, aut bibere: aliter ex plumbo ad cancroſa, & depaſcentia vlcera fiunt vnguenta ſaluberrima. Quod autem Diæta ſalubris fugit, id plerunque ad morbos arcendos fit ſaluberrimum. Sed oro te (Scriboni) vt ſanctam habeas illam iuſtitiæ legem: & reliquas diſciplinas cupias eſſe integras: pone modum phyſicæ propagandæ immenſæ cupiditati tuæ: & vicinas artes velis eſſe ſaluas. Memineris medicorum eſſe curare valetudinem, & ſanitatem tueri: pro vario vſu nihil non ſalubre, & inſalubre eſſe.

Hucuſque de Metallis ductilibus: ſequuntur minùs ductilia.

200 *Metalla minùs ductilia ſunt, quæ difficulter duci & liquari poſſunt. Suntq; vel dura omninò, vel friabilia.*

Dura

Dura omninò sunt Lapides.

LAPIDES *oriũtur ex humido aquoso, & terra vnctuosa simul duriter commixtis.*

Lapidum alij rari sunt, alij vulgares & viliores.

E rarioribus alij sunt pretiosi, alij minùs pretiosi.

Pretiosi lapides sunt Gemmæ.

De Gemmis.

GEMMAE *sunt lapides ob materiam puriorem subtilioremq; speciosi & elegantes.*

Gemmæ aliæ simplicem colorem obtinent, aliæ varium.

Simplicis coloris gemmæ vel transparentes sunt, vel minùs.

Transparentes colorem obtinent vel albicantem, vel ab hoc diuersum.

Albicantes sunt tum Chrystallus, tum Adamas.

CHRYSTALLVS *est gemma pellucidissima, è succo purissimo lapidescente genita.*

Effoditur hæc è marmorum saxorumq; canalibus in venis tam metallicis alijs, quàm propriis.

201 *Qualitas eius est adstrictoria. Oleum igitur eius aut puluis tenuißimus vtiliter dysentericis exhibetur: itemq; vteri profluuiis: & lac tamen mulieribus plurimum auget.*

ADAMAS *est gemma transparens, eaq; durissima.*

Ob duritiem suam maximã frangi vix potest. vnde etiam, nomen accepit, quòd domari nequeat.

Soluitur tamẽ vel calido hirci, vinum prius bibentis, aut petroselinum comedentis, sanguine: vel plumbo optimo.

Verus Indicus Adamas quantitate nuclei auellanæ excrescit. Rudimenta etiam eius ad Albim fluuium, non procul ab ostio Tangræ, inueniuntur.

Transparentes gemmæ coloris ab albicante diuersi, vel eundem

eundem in omnibus speciebus habens colorem, vel in singulis proprium.

Eũdem in omnibus speciebus colorem retinet Sapphirus, Smaragdus, Sardonyx.

202 SAPPHIRVS *est gemma pellucida, colorem cæruleum obtinens.*

**In Oriente potissimùm & India nascitur. Potu assumptus ad scorpionum ictus in primis prodest, & antidotis, quę contra venena & pestiferos affectus parantur, salubriter commiscetur.*

SMARAGDVS *est gemma pellucida, viridi colore, etiam vicinum aerem inficiens.*

Lapis hic in Britannia copiosè prouenit, & in Scotia, qui præ cæteris laudabilis est.

**Gestantes eum à morbo comitiali præseruare creditur: & limatura eius octo granorum pondere potu exhibita venenum assumptum expellit, decidentibus quoque de capite pilis.*

SARDONYX *est gemma transparens, vnguis alicuius digitorum humanorum colorem referens.*

** Vtilis est ad castitatem: plurimùm etiam conducens ad vnguium exulcerationes.*

Proprium colorem in singulis speciebus obtinens gemma est Selenites.

SELENITES *gemma est instar speculi, seu vitri translucens.*

Hæc pro motu Lunæ, cuius etiam imaginem noctu videtur reddere, crescit & decrescit. Vnde Græca appellatione à Luna sic dicitur: & à speculi similitudine Specularis lapis nominatur.

** Conspiciuntur autem colore albo, vel nigro, vel flauo. Candidus in Arabia potissimùm nascens comitialibus prodest, si ramenta eius in potu exhibeantur.*

Gemmæ ſimplicis coloris non tranſparentes ſunt, vel lucidæ, vel opacæ.

Lucidæ aliæ lumen de ſe præbendo ſpargendoq́; reſplendent, aliæ ſplendore carent.

Reſplendentes ſunt Carbunculus, Carchedonius & Aſterites.

CARBVNCVLVS *eſt gemma ignis inſtar noctu lumen præbens.*

Gemma hæc nobiliſſima eſt, omnium etiam aliarum gemmarum virtutibus pollens.

CARCHEDONIVS *eſt gemma ſubpurpurea. inſtar ſtellæ clarè refulgens.*

* *Huius effectum eſt triſtitiam metumq́; propellere, omnes videlicet corporis ſpiritus expurgando, & exhilarando: item ſpectrorum viſiones prohibere.*

ASTERITES *gemma eſt cryſtallina, Lunam plenè lucentem in ſui medietate continens.*

Lucidæ abſq́; inſigni ſplendore ſunt Rubinus, Topazius, Hyacinthus.

RVBINVS *eſt gemma rubea per tenebras in ſpeciei exiguæ ſcintillæ alicuius micans.*

Rubinus viſum, ob fortiorem aſpectum Solis debilitatum, clarificat: inſomnia quoque triſtia & meticuloſa arcet.

TOPAZIVS *eſt gemma coloris aurei, Soli expoſita, tantùm radios de ſe ſpargens.*

* *Vulneribus impoſitus eiuſmodi lapis ſanguinem ex iis effluentem confeſtim ſiſtit. Aquæ feruenti iniectus prohibet ne manus in ea amburatur, aut lædatur, quod videlicet abſque omni noxa immitti & retrahi poſſit.*

HYACINTHVS *gemma eſt aquei coloris, ob duritiem indiſſolubilis, in tenebris nebuloſa, interdiu clara & pura.*

* *Gemma eſt admodum frigida: ſpiritus cordis aliarumque partium contemperans, lætitiam efficiens: & collo vel*

vel in annulis gestata gratiam reconcilians.

Gemmæ magis opacæ sunt Corallium, Asbestos, Magnes, Galactiles.

CORALLIVM *est gemma fruticis lapidescentis figuram repræsentans.*

Nascitur in mari potissimum, ex humida viscositate, quæ ex alto extracta statim induratur, quasi offuso aere protinus concrescens.

Eximitur circumquaq; muscosum, & deraso priùs ab artificibus cortice, suis coloribus conspicuè nitescit.

Corallium vel rarum, siue porosum est, vel compactum, & ponderosius.

Porosum, quod spongiarum modo inane est, niueo candore conspicitur: idq; frigidius est.

Compactum magisq; lapideum est, tum rubrum, tum nigrum.

Laudatissimum verò est rubrum, & ramosissimum, omniumq; læue. Hoc hominis malè affecti collo annexum pallescit, quia tenera eius substantia à vapore, qui corpori nondum officere potest, facilè affligitur.

* *Sanguinem reiicientibus, aut excreantibus medetur. Puluisculus eius oculorum medicamentis conuenit: item renum & vesicæ calculis. Comitialibus insuper vtiliter alligatur & propinatur.*

ASBESTOS *lapis est coloris ferrei post vnam sui accẽsionem irrestinguibilis: vnde & nomen illi impositum.*

Reperitur in Arabia.

MAGNES *est lapis colore ad cæruleũ vergente, ferrum attrahens.*

Reperitur in Cantabria, in variis Germaniæ & Bohemię locis: item in mari Indico & AEthiopia, qui omnium præstantissimus est.

**Virtute sua Adamanti omni ex parte similis est: cũ aqua*

mulsa hydropicis aliisque humoribus expurgandis aluum laxando confert. Ad profluuia autem dysenterica vnguenti forma ventriculo impositus vtilis est.

GALACTITES lapis pretiosus est, colore cinereo, lacteum humorem resudans. vnde appellationem suam à lacteo succo Græcam accepit.

Lactis fœcunditatem parit: ad fluxiones insuper oculorum & vlcera conuenienter illinitur.

200 *Difficulter*] Malè minùs ductile opponitur ductili: methodica namque diuisio quàm maximè pugnantibus membris gaudet: ea autem sunt contraria. Ductile verò, & minùs ductile causis consentiunt. Sin autem minùs ductile id omninò non ductile interpreteris: post ex difficultate alterā speciem opponi arbitraris, repugnante rei natura. Neque accuratiore arte duci & liquari distinguis, magno discrimine tamen distantia. Sunt enim friabilia nulla quę liquari possunt, vt sulphur & resinosum genus: duci autem vel leuissimo mallei contactu haud sustinent. *Dura*] Molle, non friabile, fuisset duro opponendum: sunt namque dura multa friabilia: vt Pumex, arena, &c.

201 *Qualitas*] Quæ reliqua physica institutione, medica miscet Scribonius, asterisco tantùm notabimus, neque prolixiore animaduersione excutiemus. Illud teneatur modò Physices limites rei natura & essentialibus proprietatibus circumscriptos esse. Valetudinis curam sanitate tuenda, vel restituenda occupatam, medicorum officium vniuersum complecti, physicorum actionem esse scire tantùm, reliquarum artium opus producere.

202 *Cæruleum*] Est & Sapphirus colore albo.

Hæc

Hæc de Gemmis simplicem colorem habentibus: sequitur de variè coloratis.

G*Emmæ varicolores sunt, quæ mixto simul colore conspiciuntur.*

Eiusmodi sunt Achates, Turcois, Corneolus, Chrysoprasus & Hemathites.

ACHATES *est gemma varicolor, leoninæ potissimùm pellis similis.*

Interdum nigricans albis venulis, vel, vt in Creta insula prouenit, flauis interstincta reperitur. Interdum etiam quasi sanguine respersa apparet.

Adeò nimirum variat colore, vt olim in Achate Pyrrhi regis nouem Musæ, & Apollo citharam tenens, conspecti fuerint.

* *Aquilæ Achatem nidis suis imponentes ad defendendum pullos contra venenata, docuerunt, eum ictui scorpionis aliisq; venenis plurimùm conferre.*

TVRCOIS *gemma est obscurior, coloris cærulei ex viridi relucentis. A regione Turcica nomen sortita est.*

* *Oculorum imbecillitati contra omnes exteriores noxas multùm prodest, & spiritus corporis totius confortat.*

CORNEOLVS *gemma est aquæ carnis ablutæ similis, à colore carnis quasi Carneolus dicitur.*

* *Sistendis mensibus & ficubus ani optimè conducit. Annulis inclusus Corneolus iracundiam coërcet.*

CHRYSOPRASVS *est gemma ex viridi colore aureis interstincta maculis, in tenebris tantùm parumper lucens.*

In India reperitur, sed ob raritatem admodum carus habetur.

Ad cōfortationem cordis & oculorum caliginem tenebricositatemq; valet.

HAEMATITES gemma est in ferrugineo colore venulis sanguinolentis mixta.

Crescit in Morauia, sed præstantissimus est in Arabia & Aphrica proueniens.

Gemma est adeò frigida & sicca, vt vel in feruentissimam aquam proiecta eam refrigeret: & gestantes à vehementiore Solis ardore custodiat.

* Sanguini in primis vndequaque sistendo optimè conducit: in manibus etiam retenta sanguinis è naribus profluuiũ sedans.

203 Gemmarum similes lapilli habentur, qui reperiuntur in animantibus, tum terrestribus, tum aquatilibus.

Ex terrestribus animantibus sunt Chelidonius, Alectorius, & gemma Rubetarum.

CHELIDONIVS lapillus est exiguus in ventriculo pullorum hirundinis crescens.

Reperitur autem in pullis primo partu exclusis tempore nouilunij.

Si bini fuerint, alter plerunque rufo, alter nigro colere cernitur. Probatissimus est, si vnicus tantùm adsit, isq; aureis guttulis insignitus.

* Rufus præsertim sub sinistra axilla in linteolo, vel corio vitulino gestatus Maniam, item Epilepsiam & Lunaticos curat: & gestantem omnibus gratum & acceptum facit.

ALECTORIVS est lapis, crystallini aut aquei coloris in ventriculo Capi inuentus.

Inuenitur maximus fabæ quantitate anno ætatis Caporum nono: rarus etiam quinto.

Alectorius in ore retentus sitim vehementiorem restinguit: sicut & galli castrati lapide hoc in iis crescente non amplius bibunt. Fortes etiam & bellicosos facit homines: sicuti Milonem Crotoniẽsem legimus solius lapidis huius beneficio inuictum fuisse.

Gemma

Gēma RVBETARVM *est lapis in capite Bufonis ortus.*
Coloris est interdum in candido fusci, interdum in medio cæruleum oculum habentis: præsertim si viuæ Boraci extrahatur.

Eximendus autem antequam bibat bufo, vel aquam tangat.

* *Presentissimo remedio est contra omnis generis venena. Lapis enim hic in illorum præsentia colorem suum mutat, & quasi sudans guttas emittit.*

Ex aquatilibus animantibus lapilli extrahuntur: oculi Cancrorum, gemma Percæ, lapis Carpionis, & alij plures.

Generantur autem lapides isti à frigore materiam indurante, & fortiùs constringente.

OCVLI CANCRORVM *reperiūtur in Cancris, maximè femellis: lapides bini, rotundi instar oculorum.*

* *Vis illorum lapidum insignis est ad coagulati sanguinis dissolutionem & expulsionem. Et magna etiam in confringēdo calculo.*

Lapides PERCAE *piscis reperiuntur in capite Percæ minoris: duo scilicet, iiq; candidissimi, magnitudine seminis lini: secundùm proportionem tamen piscis.*

Lapis CARPIONIS *est, qui reperitur in piscis hoc nomine dicti faucibus, forma triangulari, colore exteriùs candido, intus autem subflauo.*

* *Ad ebullitionem flauæ bilis, quam Sodam vocant, optimè conducit.*

203 *Lapilli*] Atqui lapilli in animantibus reperti, non sunt (credo) quæ priùs docuisti metalla: itaque violata veritatis, atque iustitiæ legibus, huc illati: & qualem (obsecro) methodi artem ostendit diuisio gemmarum similibus distincta? Si namque similes tantùm sunt, ipsæ gemmę non sunt, si ne gemmę, prorsus nullam inter lapides sedem obtineant. Ad-

 hæc

hæc quę animantibus continentur gemmarum speciem referētes lapilli, vel horum partes sunt, vel excrementa: si partes, in animalium physica explicandæ, & inter has recensendæ, sin excrementum, videris quàm Logicè, vel physicè, metalla animantium excrementa doceas. quid quod nondum ad animantium genus doctrinæ serie accessimus?

Hucusque de Gemmis, earumque similibus: sequitur de lapidibus raris minùs pretiosis.

Lapides rariores, & minùs tamē pretiosi sunt, qui maculis & coloribus variis commendantur vtpote Marmora.

Eiusmodi sunt Porphyrites, Alabastrum, Ophytes, & id genus alia.

PORPHYRITES *est marmor instar purpuræ rubens: vnde etiam hoc nomine dicitur.*

ALABASTRITES *est lapis marmoreus mellei maximè coloris in vertice maculosi: quo antiqui ad vasa vnguentaria, & alia, vtebantur.*

Qui verò hodie in simili vsu est, notissimus læuore pellucido, venis subnigricantibus, gypsi potiùs materia, quàm Alabastritæ species est.

OPHITES *est lapis marmoreus Porphyritæ instar, durissimus, viridi saturato colore similibus maculis resperso.*

Lapides vulgares nullius pretij sunt, qui ob impuriorem terræ viscositatem crassiores & obscuriores sunt.

Et hi vel solidi sunt, vel porosi.

Solidiores sunt, qui partes omnes constrictas habent, vt omnis generis saxa, Silex, Pyrites, Cos, & alia.

Porosi sunt, qui cauernulis rarioribus referti reperiuntur, vt Pumex, Tophus.

PVMEX

204 PVMEX *videlicet spongiæ instar fistulosus lapis est, & rarus*

TOPHVS *inæqualis & arenarius lapis est.*

204 *Pumex*] Pumex atq; Tophus friabiles sunt lapides, ideoque in metallorum friabilium classem conferendi.

Adhuc de Lapidibus : sequitur de Metallis friabilibus.

Metalla friabilia sunt, tum Sales, eiusq; species, tum terræ metallares.

SAL *est corpus metallare friabile, è succo aqueo & terrestri mixtis, ac decoctis, genitum.*

205 *Salis natura adstringit, absterget, expurgat, dissipat, reprimit, extenuat, & crustas inducit.*

Effoditur autem vel ex fodinis, vel aquis.

Salis fossilis differentiæ sunt, Sal Ammoniacum, Sal petrosum, siue lucidum, Sal gemmæ, & Sal Indicum.

Sal Ammoniacum, quod in laminas concretum in Cyrenaica reperitur sub arenis ardentissimis: ideoq; Ammoniacum etiam dicitur: ἄμμος enim arena est.

**Calidum & siccum ferè est in quarto gradu: humoribus viscosis expurgandis conueniens.*

Quod autem in nostris Pharmacopoliis venditur nigricantibus glebis, adulterinum est: quippe quod factitium dicatur, è camelorum vrinis artificiosè concretis: vnde à Camelorum in Armenia copia Armeniacum vocatur.

Sal petrosum est, quod in locis fumidis subter raneis & cautibus cauernosis, instar salsæ stiriæ, reperitur. Vulgò etiam Sal Nitri, à Nitria Ægypti regione, vbi plurimùm prouenit, nominatur.

Huius

Huius similis sp[illegible]es est sal, quod dicitur Boracis.

Sal gemm[illegible] est sal candidissimum æquale, instar crystalli resplendens. Nominatur etiam marmoreum, saxeum: Item Sarmaticum, Dacium.

Sal Indi est sal in albo nigricans, vel subrufum & obscurum, quod in India ex Oromeno monte ingentibus glebis exciditur.

Sal quod ex aquis effoditur, vel in littoribus maris coagulatum colligitur, vel in stagnis & lacubus à Sole decoquitur.

206 *Ad Salis genera referuntur Alumen, Bitumen, & hisce similia.*

ALVMEN *est salsugo terræ, vel salsus terræ sudor.*

Alumen aliud liquidum est, aliud duriusculum.

Liquidum est alumen vulgatum, quod Rochę alumen dicitur, quasi rupeum, quo vtimur in pręparandis chartis ad retinendum atramentum.

Duriusculum magis est alumen spissum, quod quia in canescentia capillamenta dehiscit, Scissile dicitur. Vulgò Alumen Scajolæ, item plumosum.

BITVMEN *est succus pinguior & lentus, pici similis, adeoq; quasi pix terrestris.*

Estq; vel fluidum, vel consistens.

Fluidum, quod instar oleosi liquoris magis diffluit.

Hoc diuerso colore pro locorum varietate conspicitur.

Nobiliora eius genera sunt Naphtha & Ambra Arabum.

207 NAPHTHA *est candidum solummodò bituminis liquamen, ab aquis accensum, & ignitum: sic vocatum Babylonica dictione.*

Maxima est huius ignem etiam ex interuallo attrahendi facilitas, ob oleositatem: adeò vt corpus aliquod ea illitum, igniq; admotum deflagrans, vel in aqua extingui non possit,

sit, sed magis potiùs ardeat, nisi copiosiorem superinfundas.

Naphtha è petris, & maximè quidem Agragantini Siciliæ profluens, Petroleum dicitur. Naphtha enim ob oleosam pinguedinem nonnullis olei nomine vocatur.

AMBRA *Arabum bituminosa est pinguedo, in cinereo candida.*

Consistens bitumen est, quod pleniùs concrescit, ac fortiùs condensatur.

Hoc tenax primò, & lentum omninò mari vel aquis, ceu spuma innatat, iis deinde exemptum protinus induratur.

Eiusmodi est tum Asphaltus nigricans, & Pissasphaltus, tum Succinum.

ASPHALTVS *nigricans est bitumen instar picis exsiccatæ inspissatum.*

Optimus prouenit in mari mortuo Iudææ: quod idcircò lacum Asphaltitem cognominant.

PISSASPHALTVS *est Asphaltitus mistam bitumini picem redolens.*

Arabicæ medicinæ sectatoribus cum Serapione Mumia dicitur: quare si desit, eius loco vtuntur Mumia Syriacorum factitia: quoniam in Syria defuncti pauperes bitumine implentur, diuites autem myrrha, aloe, croco & balsamo condiuntur. Alij propter conditurae eius inopiam myrrham & aloen pinguedine excipiunt.

Nascitur autem Pissasphaltus in montibus maximè Cerauniis, à quibus in mare deuoluitur, & in huius deinde littoribus in glebas cogitur.

SVCCINVM *est bitumen, lapidis propemodum instar, vehementissimè concretum: ideoq; Succinum dicitur, quòd ex succo terræ concrescat.*

Colore autem reperitur vel albo, vel citrino: rariùs etiam nigro quod Gagaten vocant.

Pinguedo

Pinguedo Succini, siue oleositas maxima est, vt si accendatur, candelæ instar ardeat: accensum etiam siue contritum, Pini odorem refert.

Paleas insuper specifica sua virtute, & res alias minutas ad se trahit: vnde Electrum, & Persica dictione Carabe, *id est, Paleas rapiens vocatur.*

TERRAE METALLARES *sunt portiones terræ in locis maximè mineralibus fossiles.*

Eiusmodi sunt Terra Lemnia, Bolus Armenus, Terra Samia, Ampelitis, Creta.

TERRA LEMNIA *est portio terræ impensè rubens, in insula Lemno secundum collem omninò fuluum effossa.*

Vulgò in glebas dissecta veræ Armeniæ titulo non ita pridem comportari cœpit.

Hæc ob impressum sibi sigillum Dianæ, cuius sacerdotibus illam abluere solis olim fas erat, Terra sigillata dicitur.

208 * *Vtilitas eius insignis est in abigendis & curandis venenis: efficax videlicet est ad omnes viperæ aliarumq; ferarum morsus, & medicamenta lethalia: item ad omnia vulnera tum vetera, tum citatrici inducendæ contumacia.*

BOLVS ARMENVS *est portio terræ in Armenia effossæ, coloris pallidi, in læuorem calcis instar promptissimè solubilis.*

* *Valida huius est desiccandi virtus: ideoq; omnis generis fluxionibus sistendis optimè conueniens est: præsertim verò vtilis ad catarrhos, ad sanguinis expuitiones, pulmonis vlcera, ad dysenteriam, ad profluuia ventris: præcipuè etiam valet ad affectus pestilentiales.*

TERRA SAMIA, *siue Samius aster, est terra candida, tenax & viscida, ex Samo insula asportata.*

AMPE-

Ampelitis est terra bituminosa, [...]ulosa, coloreq́; atra: sic dicta, quòd viti circumlita nascentes in ea vermes interimit.

Terra hæc in multis etiam Germaniæ montibus instar carbonum scissilis eruitur. Vulgo carbones terrestres, siue lapidei.

Creta est portio terræ in insula Creta fossilis, albissima.

Vbi species etiam quodammodo nigricans quædam reperitur, quæ Pignitis, vulgò Creta nigra dicitur.

205 *Crustas*] Non omne genus salis crustas inducit, sed cathaireticum molle sal vulgaris existit, & quæ deinceps hoc capite ad salis genus refers, bitumen, naphtha, ambra, asphaltus &c. nullam eiusmodi causticam aut escaroticam vim exercent quam tu facis omnium communem.

206 *Bitumen*] Quo argumento bitumen ad salis genera referas non intelligo. vt alumen huius genus esse concedatur, quod tamen eius acerbitas vel austeritas vix admittit. Naphtha, ambra, succinum, nullo symbolo cum sale conuenientia, manifesta vi huc rapiuntur. & malè alienæ familiæ accensentur: quę per se cognationem & progeniem satis amplam habent.

207 *Naphtha*] Naphtha liquiditate maxima diffluit, propterea minimè friabilis.

208 *Vtilitas*] Si ex Physico instituto, ad morbos sanandos medicamentorum commoditates explicandas autumas, quamobrem in aliis plærisq; idem prætermittis? nec constanter & perpetuò ex singulis Naturis remedia edoces?

Tantum

Tantum de Mineralibus: ſequitur de Naturis perfectè viuentibus, vtpotè de Plantis.

NAturæ perfectè viuentes ſunt, in quibus vegetantis animæ facultas abſolutè elucet.

Eiuſmodi ſunt tum Stirpes, tum Animantia.

209 STIRPES *ſunt eſſentiæ tantùm vegetabiles.*

Harum omnium corporibus natura varias & multiplices virtutes pro qualitatum principiũ cõtemperatione impreſſit,

Forma enim earum qualitatibus vtitur, ceu inſtrumentis: huic igitur vel ſoli, vel cum qualitatibus ſimul omnia accepta referuntur.

Intenſionis autem & remiſſionis illarum qualitatum diſtincti quidam gradus obſeruantur: vnde nonnullæ in primo, in ſecundo, in tertio & quarto gradu calidæ, frigidæ, humidæ, vel ſiccæ dicuntur.

Sæpe tamen propter materiæ diſpoſitionem diuerſæ vni plantæ inſunt qualitates.

Stirpes proinde, ſiue plantæ vniuerſæ, vel caudice continentur, vel caule.

Caudice quæ naſcuntur, eum habent vel ſimplicem, vt arbores: vel multiplicem, vt frutices.

ARBORES *ſunt ſtirpes à radice, caudice, ſimplici ramoſa, ſurculoſaq̃, altiùs aſſurgentes.*

210 *Arbores in terris naſcuntur vel calidioribus tantùm vel in aliis quibuſlibet.*

Solo potiſſimùm calidiore gaudent Thus, Myrrha, Macer, arbor Piperis, Palma, Balſamum, Malus Punica, Malus Citria, Cedrus, &c.

THVS *arbor eſt, in Arabia præcipuè creſcens, procera, folia Lentiſco ſimilima obtinens. Græcè etiam Libanos dicitur.*

Ex hac eiusdem nominis gummi profluit, ipsa arbore nobis notius. vulgò Olibanum.

Est autem illud gummi molle, candidum, pingue, & rotundum, in suffitu statim ardens. Et quò resinosius magisq; tenax est, eò quoque laudabilius existit.

Hoc in templis ad sacros suffitus quasi consecratorius fumus expetitur: vnde nomen etiam Thuris à θύειν contraxit.

MYRRHA *arbor est Indiæ, caudice duro, iuxta terram contorto, cortice læuiore, foliis extremo aculeatis & spinosis crescens.*

Lachryma quæ ex hac arbore funditur, eodem nomine dicta, est pinguis, resinosa quodammodo, ac densa, cum splendore rubescens.

Recentis autem Myrrhæ liquor stillatitius olim Stacte, nunc Storax liquida in officinis nominatur.

* *Myrrha secundi ordinis est excalfacientium & desiccantium, & satis amara. Vulneribus igitur, præcipuè capitis, illita, glutinare ea & abstergere potest: fœtui quoque item lumbricis expellendis idonea est: ad tussim veterem & anhelationem multum faciens.*

MACER *est arbor Indica in insula Badan, Persicæ arbori ferè similis, foliis tamen angustioribus, & breuioribus: cuius fructus nux Moschata exteriore, auellanarum instar, putamine duro, quem flos syluestrium rosarum instar expansus amplectendo ambit: extrinsecus inuoluitur. Flos ille Macis dicitur.*

NVX *myristica, vulgò ob odorem Muscata, quasi Moschata, præstat quæ recens est, grauis, succiq; plena, oleosa & odorata.*

Nux myristica siccat & excalefacit, ordine secundo completo, cum quadam adstrictione.

Arbor PIPERIS *etiam in India potissimùm prouenit.*

Fructus

Fructus huius duplex est in diuerso arboris genere crescens, longus & rotundus.

Rotundum Piper gignitur à quibusdam infirmis viticulis vicinas arbores altiore complexu scandentibus vuarum modo racematim proueniens: quod per maturitatem mense Octobri decerptum, & tridui plerunque spatio tegetibus palmeis sub feruenti Sole expansum torretur, quousque nigrescat, & rugosum euadat.

Longum verò in aliis arboribus Peperis crescit, veluti nucamentum quoddam exilibus granulis squamatim compactum & vermiculosa facie dependens.

Piperis qualitas est vehementer calida & sicca.

PALMA, *quæ Græcè Phœnix dicitur, in Ægypto & Arabia frequens est arbor, omninò viridis, caudice longiore & rotundiore, corticibus instar squamarum piscis alicuius coniunctis, foliisq́; semper in altum vergentibus.*

Quò plus hæc oneratur & premitur, eò magis in altum contrà nitendo assurgit. unde Veteres arboris huius ramulos pro insignibus victoriæ in dextra gestarunt. Et hinc dicitur Palmam reportare, id est, victoriam.

Huius species syluestris in India crescens propriè nominatur Thamarindus. Palma enim ab Indiæ incolis Thamar dicitur.

Fructus Palmæ si maturescit, colore nigricans fit, & dulcis: Græcè Dactylus. unde & Latina & Germanica appellatio manauit.

Palmulæ autem, siue Dactyli triplices sunt: sunt enim Palmulæ Nicolai, & quæ Sorores dicuntur, & quæ Poteton.

Laudatissimæ autem sunt in Phœnicia, quæ inde Phœnicinæ vocantur: eæ verò quæ ad nos feruntur, omnes sunt Ægyptiæ.

* *Palmulæ dulces notabilem obtinent caliditatem. unde medica-*

medicamentum conficitur, Diaphœnicon, expurgandis humoribus idoneum.

BALSAMVM *est arbor humilis, stirpe Terebintho haud dissimilis: foliis Rutæ, sed paulò candidioribus, & nunquam decidentibus.*

Arbor hæc in Iudææ potissimùm valle Hierichonte & Ægypto crescit: quæ si incidatur, lachrymam emittit, siue liquorem lacteum, Græca appellatione vulgò vocatum Opobalsamum.

Inciditur autem cortex eius in parte caudicis superna, facta incisura vitro, lapide, osseisue cultellis: quia ferro incisa emoritur: & succus eius lana exceptus in corniculis colligitur. Vix autem singulis annis seni cōgij inde colligi possunt.

Natiuum balsami oleum esse ex eo cognoscitur, si cum lacte coaguletur: si in aquis facilè soluatur, vestesq; non maculet. Sed nunc rarissimè haberi potest.

Calidum & siccum est in secundo gradu, essentiæ tenuioris. Loco eius vtiliter substituitur oleum nucis myristicæ.

MALVS PVNICA *à Pœnorum, siue Carthaginensium regione dicta, arbor est non admodum procera, angustis & splendentibus foliis, floribus purpureis & fructu innumeris acinis, siue granis referto.*

Cortex arboris vulgò Malicorium nominatur: flores autem arboris, præsertim syluestris, Balaustia vocantur.

* *Malum granatum boni succi est, ventriculo in primis conueniens: biliosum etiam vomitum sedans, balaustiorum & malicorij æqualibus partibus in aqua vel aceto decoctis, & ventriculo impositis. Succus etiam eius in omni ardore febrili optimum medicamentum est.*

MALVS CITRIA *à citrino colore dicta, arbor est perpetuò virescens, foliis serratis, lauri propemodum similibus, & inter ramos aculeata, fructus rugosos & oblongiores per-*

 res per-

res perpetua superfœtatione ferens.

Malus hæc in Medorum olim regione tantùm crescebat: vnde Medica quoque dicitur, ex quo vulgatum ænigma,

Medica mala quidem, nec mala nec medica.

Pomum etiam Iudæorum dicitur, à superstitione eorundem, quòd singulæ familiæ singulis annis vnum eiusmodi pomum secum habere coguntur.

* *Cortices arboris cordi confortando plurimùm prosunt: itemq; omnibus ventriculi affectionibus. Vestimentis appositi tineas aliosq; vermiculos arcent.*

Medulla pomorum inflammationibus cutisq; affectibus medetur. In quem vsum vulgò paratum inde habetur vnguentum Citrinum.

CEDRVS *arbor est forma sua Iunipero similis, foliis tamen acutioribus: miræ, præsertim in Cypro insula, altitudinis, cariem & putredinem nunquam sentiens.*

Huius natura est viuentes & bene affectas res putrefacere & perdere: putridas autem & corruptas restituere & conseruare.

209 *Tantum*] Eiusmodi sunt (teipso autore) metalla. Nam initio huius secundi libri, Naturas viuentes definis, essentias corporatas, anima vegetante præditas: hîc verò stirpes essentias tantùm vegetabiles asseris; at eiusmodi sunt metalla, conclude igitur (Scriboni) at imperfectè (ais) viuunt. Vides igitur, ex neglecto primo genere in definiendo, quid incommodi oriatur, videlicet rerum confusio, & doctrinæ obscuritas, neque perfectiùs stirpes viuunt metallis (modò viuant abs te numerata omnia metalla, quod profecto de certis nunquam vere affirmaueris) sed vitam nobiliorem obtinent, & pluribus, & insignioribus vitæ facultatibus ornatam.

210 *Calidio-*

210 *Calidioribus*] Ex loco diuiſio parum Phyſica eſt. locus enim extra rei naturam ponitur: & cum huius mutatio eſſe poterit, admodum inconſtans, inde petitur rerum Phyſicarum doctrina.

Adhuc de Arboribus, quæ in calidis ſolùm regionibus & remotioribus creſcunt.

211 *Arbores in aliis etiam regionibus quibuſlibet creſcentes aut fructiferæ ſunt, aut ſteriles.*

Fructiferæ fructum ferunt tegumento concluſum, vel molli, vel duro.

Molli tegumento incluſum fructum habentes, vel pomiferæ ſunt, vel bacciferæ.

De arboribus pomiferis.

Pomiferæ dicuntur arbores vniuerſæ, quæ pomum ferunt.

Eiuſmodi ſunt Ficus, Olea, Malus, eiuſq; genera, Pyrus, arbor Prunorum, Meſpilus, Ceraſus.

Ficvs *arbor eſt non admodum procera, cortice læui, inſtar Iuglandis, fructum oblongiorem, inſtar Pyrorum proferens, multorum etiam granorum plenum.*

Arbor hæc aliis feracior eſt: ter vel quater etiam vno anno fructum ferens, adeò vt alter altero obruatur.

Color Ficuum primò lacteus, quando nondum etiam ſatis maturæ groſſi dicuntur, & ſi citius proueniunt, præcoces: deinde melleus eſt.

Ficuum ſpecies ſunt tum Mariſcæ, tum Caricæ. Mariſcæ vocantur Ficus grandiores & inſipidiores. Caricæ dicuntur à regione, quæ cum optimè ſiccari poſſent, omnibus deinceps Ficubus ſiccis hoc nomen dederunt.

Mira hæc arboris natura est, quòd tauri vel ferocißimi ad eam alligati mansuescere dicuntur.

Vtilitas eius in rebus multis manifesta est: præsertim verò fructuum eius.

**Decoctæ Ficus cum Hyssopo, & ieiuno stomacho assumptæ, tußi & aliis pulmonum affectibus medentur.*

212 *Contra pestem singulariter etiam prosunt, si sumantur cum foliis Rutæ, baccis Iuniperi, & Nucibus iuglandis, addito aceto, vt omnibus contusis & commixtis fiat electuarium: de quo singulis diebus assumentes rarissimè morbo pestilentiali corripiuntur.*

OLEA *arbor foliis conspicua est salicis, & quidem angustioribus, flore exiguo, in Italia & Gallia copiosè prouemiens.*

Fructus huius Oliuæ post maturitatem nigrescit, nucleum in se habens, quem veteres propriè Sansam dixerunt.

Ex hoc succus exprimitur, qui Oleum dicitur: & si ex oleis immaturis colligitur, Omotribes vocatur.

**Olei temperata est caliditas & aluum relaxandi facultas. Si assumpto veneno bibatur, confestim illud expellit per vomitum, & multis aliis affectibus confert.*

Vnde Democritus olim, interroganti, qua ratione homines diuturnam vitam degere possint, respondit: Si corporis exteriora oleo, interiora autem melle inungerent.

Arbor proinde ipsa tam robusta est, vt illæsa durare possit annos fermè ducentos. Maxima eius est cum vite sympathia, vt si in vite plantetur, non tantum oliuas, sed vuas quoq; de se proferat: antipathia autem maxima cum quercu arbore.

MALVS *arbor vbiq; notissima, pro regionum diuersitate varia est, fructum ferens vel satiuum, vel syluestrem.*

Satiuus est pomorum dulcium & aliorum quoque austerorum.

Dulcia poma sunt calidiora: austera verò frigidiore succo constant, & magis terrestri, ideoq; adstringunt.

E dulcium genere Malimela sunt poma mellei saporis, siue mustea.

* *Et hæc omnia vtilia sunt ad animi deliquia, & cordis debilitatem confortandam: iis tamen qui crebriùs ad satietatem vsque his vtuntur, calculum gignere solent: & in ventriculis debilioribus flatulentum spiritum generant: omnia insuper specifica quadam proprietate neruis nocent.*

Syluestria similiter, quę suas etiam habent differentias, omnia adstringendi facultate pollent: è quibus tamen contusis hodie variis in locis affusa aqua potus excoquitur, musto similis, aluum plurimum relaxans.

Mali genera sunt Malus Cotonea, & Malus Persica.

Malus COTONEA *arbor est malo arbori similis: longè tamen humilior manens, lanuginosa poma ferens. Sic dicta à lanugine, quam Gręci* Κύτον *nominant. Item Cydonia, à Cydone insulæ Cretæ ciuitate, vnde primum aduecta est in alias regiones.*

* *Cotonea poma frigidiuscula sunt, & adstringentia: ideoq; ventriculo confortando in calidioribus affectibus plurimùm conducunt. sicuti & vinum: item mel aut oleum inde paratum, vel condimentum Cotoneatum optimè conuenit.*

Malus PERSICA *arbor est pomifera, foliis amygdalinis paululum maioribus, mala ferens rotunda succi plena, exteriusq; parumper lanuginosa.*

Fructus eius vel albicans est, vel alterius etiam coloris.

Albicantia Persica frequentiora sunt, quæ vulgò Popularia dicuntur.

Alterius coloris sunt Persica tum lutea, tum magis rufescentia, siue sangninea.

Lutea sunt maiora, eaq; duriora & solidiora, quorum

corpus ligno adhærens difficulter auelli potest: quo sensu Duracina appellantur. Et minora nonnulla Armeniaca, siue Præcocia.

Rufescentis verò & sanguinei magis coloris sunt, quæ nominantur Sabina.

**Succus Persicorum ob copiosiorem aquosam frigiditatem facilimè corrumpitur, & penitus est noxius: præsertim si post alios cibos vltimo loco assumantur. In superficie enim ventris natantes citò putrescunt, pituitam quoque copiosiùs generantia.*

Quam ob causam, qui sæpius iis ad satietatem vtuntur, in febres incidunt, eorumq; nerui proprietate quadam læduntur.

** Folia in puluerem redacta plagas cruentorum vulnerum claudunt: succus verò foliorum in potu exhibitus, vel vnà cum foliis vmbilico impositus lumbricos intermit. Ex floribus fructuum addito saccharo, conserua, quam vocant, paratur expellendis puerorum lumbricis, vtilior & ori gratior est.*

PYRUS *arbor est cum fructu suo notissima, à cuius pyramidali figura, hoc est ignis forma turbinata nomen accepit.*

**Pyra recentia & cruda seroso suo ebullienteq; succo sanguinem explent, eumq; putrefactioni obnoxium reddunt, vt eorum cibus non modò ægrotis, sed etiam validis onerosus sit.*

Inflationes sæpe gignunt: attamen si vnà cũ attenuantibus, & flatum expellentibus assumantur, minùs noxia sunt.

Pyra verò cocta magis corroborant, & aluum emolliunt. Elixa similiter, aut assata, ventriculum confortant, & sitim eius restinguunt: præsertim dulcia & odorata, quæ coquuntur, cum aniso, fœniculo, saccharo, & aliis huiusmodi.

Syluestria multùm adstringunt, & nauseam ventriculi simul exuscitant.

PRUNUS

PRVNVS *arbor est ramosa, duriorem corticem habens foliis serratis, iisq; in rotunditate longioribus, fructum etiam rotundum ferens.*

Est autem hæc arbor vel satiua, vel syluestris.

Satiuę fructus sunt Pruna, quorum alia dicuntur Damascena, eaq; maiora sunt, & nigricantia, alia coloris purpurei, spanica dicuntur. Quibus adduntur alia magis flaua, aut cerea.

* *Omnes prunorum fructus sunt frigidiores & humidiores: ideoq; ventriculis etiam imbecillioribus deteriores sunt: & magis noxij, præsertim recentiores: exiccati verò minùs sunt molesti.*

Qui magis sunt dulces, aluum relaxant, acidiores eam constipant.

* *Electuarium inde paratum multis calidis affectionibus prodest. Gummi etiam ex arbore ipsorum profluens è vino bibitum calculosis multum confert.*

* *Prunus syluestris, arbor est priore minor, fructum ferens pruneola, prunis aliquantulum minora. Ex horum floribus destillata aqua vnicè prodest laterum punctionibus, variisque aliis thoracis affectionibus.*

MESPILVS *arbor est magnitudinis etiam propemodum pomi paulò spinosior, lanuginosis & spinosis pariter crescens: quæ quòd iuxta malum libentius nascatur, Hamamelis dicitur.*

Fructus eius tres plerunque, aut quatuor, vel, vt plurimùm, quinque lapillos in se continens: primò viridis ac durior est, deinde flauus & mollior. Ab Italis Vnedo *dicitur, quòd de eo nondum maturo præter vnum nemo possit comedere, ob acrimoniam.*

* *Fructus iste ventrem sistit: ideoquè tempore æstatis ad ebullientem alui fluorem conditus salubriter assumitur.*

CERASVS arbor eſt foliis Meſpili ſimilis, ſerratis & aſperioribus, cortice læui, albicantis coloris, nigro intermixti.

Fructus eius carnoſus & ſucculentus, rotundus, Ceraſum dicitur, à ciuitate Ponti Ceraſunte: vnde hanc arborem primus L. Lucullus in Italiam attulit, anno vrbis 608.

Ceraſum aliud dulce eſt, aliud Ponticum.

Dulcia Ceraſa omnia, quæ plerunque minora ſunt, inſalubriora cenſentur.

Pontica Ceraſa minùs dulcia ſunt, eaq́; vel acida, vel auſtera.

Acida magnitudine auellanarum, bacca admodum ruſeſcente creſcunt: Auſteriora pediculo conſtãt longiore, bacca aliis craſſiore, guſtu auſteriore, colore purpureo, aut rubeo, in atrum vergente, Hæc cæteris gratiora, & ſalubriora ſunt, & diutius ſeruari poſſunt.

** Ex his omnibus, quæ cum nucleis eduntur, ſtomachum extergunt, & expurgant. Lac ſiue ſuccus è nucleis eorum expreſſus ſpecifica virtute calculum qualemcunque frangit, & expellit.*

Caro Ceraſorum ſanguinem gignit copioſiorem, & magis impinguat corpora. vnde paſſerculorum, qui Ceraſis plurimum delectantur, eo ipſo tempore, quo hæc matura ſunt, ieuſcula longè quàm aliàs maiora conſpiciuntur.

211 *Steriles*] Vix reperias (Scriboni) arborem ſterilem: & quas tu ſteriles nominas fructum producunt, vt betula, ſalices, vlmus &c. nullum reuera notabilem: aliquem tamen, quo ſterilitatis crimen facilè diluitur. Et cùm propagationem generis, omnibus ex ſemine communem feceris, parum conſtanter aliquas voces ſteriles.

212 *Contra peſtem*] Valde Phyſicis aliena eſt iſta tua Pharmacopœa; & in poſteriorem diſciplinam & tanquam

tanquam physicæ & medicinæ, hypallelam conferenda.

Hucusque de arboribus pomiferis: sequitur de Bacciferis.

Bacciferæ arbores sunt, quarum fructus baccæ sunt minores & rotundiores.

Lavrvs *arbor in calidis regionibus sponte, apud nos propter frigiditatem vix sata prouenit, foliis acutioribus & spissioribus, cortice tenui ac læuiore, perpetuò virescens.*

Arbor hæc, propter immensam vtilitatem, apud Veteres admodum nobilis fuit habita: qui ramulis eius pro insignibus pacis & victoriæ vsi fuerunt: & folia eius magistratui strenæ loco, vt vocant, obtulerunt: foliis quoque iisdem vates celebriores coronati fuerunt.

Fructus proinde & folia Lauri calefaciunt, & vehementer exiccant.

* *Oleum è baccis Lauri expressum ob calefacientem ac emollientem naturam prodest affectionibus thoracis, aliisq́; pluribus è frigiditate ortis: vtpote capitis, ventris, epatis, &c. Collicos etiam dolores sedat.*

Puluis earum è vino sumptus vrinam ciet, ac lapidẽ renum & vesicæ confringit.

Ivniperus *arbor, sic dicta est, quòd iuniores & nouellos fructus pariat: hæc enim sola arbor fructus suos minutos biennij spatio gestat, prioribus nondum maturis alios insuper producens.*

Est autem arbor foliis breuiusculis & acutis, omninoq́; angusto cortice, vbique propemodum dissecto.

Lachryma ex hac arbore exudans Vernix est, gummi duriusculum, sic dictum, quòd rore verno magis concrescit.

Arbor

Arbor calida est & ficca in tertio gradu, ideoq; calefacit & coniungit, siue congregat: ventriculo refrigerato aliisue partibus calefaciendis optimè conducens. Baccæ autem calidæ sunt & siccæ in primo: earumq; vsus est multiplex, & inprimis olei inde destillati, aut expressi.

** Assumptæ baccæ aeris putrefactionibus medendo spiritum in corporibus animantium confortant & augent. Item tussi, torminibus, aliisq; vitiis medentur, adeoq; humiditates omnes putridas atque malignas absumunt.*

** Oleum è ligno Iuniperino ad Arthritin & dolores corporis confert, si spina dorsi eo inungatur. Auribus infusum surditatem tollit. In cibo assumptum vitia melancholica curat.*

** Gummi Iuniperinum cum albumine oui fronti temporibusq; iunctum destillationibus capitis sistendis prodest. Cum thure puluerisato & oui albumine ventri impositum, laxitatem eius indurat.*

MORVS *arbor est non incognita, foliis rotundis, asperis & nigricantibus, flore quasi piloso, sæpe totum fructum tegente.*

Sic autem dicitur, Græca notatione dissentaneorum quasi prudentissima, quod nouissimè omnium frigore lapso germinet, & cum postremus folia amittat.

Fructus eius arboris primò albicans est, deinde magis rubicundus, & postquam maturuerit, niger omninò redditur.

** Hinc electuarium paratur Diamoron, quòd, sicut etiam succus simplex eius, plurimùm conducit asperitati & exulcerationi, gutturis præcipuè, itemq; epatis inflammationibus.*

Et

Et hæ fuerunt arbores, quarum fructus molli tegumento obducti sunt: sequitur de iis quarum fructus tegumento duriore continentur.

Ex his autem alij toti teguntur, alij ex parte tantùm.

Prioris generis sunt arbores, quarum tegumentum est calyx ligneus, vel echinus.

Calyx ligneus & durior vel integer est, & cohærens, vt in Amygdalis, vel bifidus, vt in Nucibus.

Amygdalvs *arbor est caudice longiore, multis ramis extensa, foliis salicum haud dissimilibus, ante germinationem florens.*

Fructus eius est Nux, duriore & lenticulari calyce conclusa, supra quem deinceps viride & molle est putamen: is Amygdalarum nomine dicitur, quòd in calyce tenuissimas multas rimulas habeat, quas Græci ἀμυχὰς vocant.

Fructus autem iste duplex est. amygdalæ enim aliæ dulces sunt, aliæ amaræ.

** Dulces mediocriter calidæ sunt, exilem amaritudinem in se continentes: ideoq; incidendi, attenuandi, extergendi, & sine morsu digerendi facultate pollent.*

** Vnde etiam lentorum & viscidorum humorum excretioni è pulmonibus mirificè conducunt: præsertim si contritæ ex iusculo assumantur. Epatis quoque obstructionem, itémque lienis & renum optimè aperiunt, & vrinam prouocant.*

Ad hæc omnia quoque efficaciores sunt amaræ.

** Oleum Amygdalarum asperitatem gutturis lenit, & phthisicis, qui diu decubuerunt, prodest: & amararum in primis oleum aurium affectionibus salutare est.*

Fructus qui bifido calyce teguntur sunt Nuces iuglandis.

IVGLANS, siue Nux regia, arbor est præalta, cortice longo, læui, & albicante, ramis crassioribus, foliisq; etiam maioribus, longis scilicet ac latis & graueolentibus.

Nux iuglandis dicta est à nocendo, quòd vmbra eius atque stillicidium proximis arboribus, & sub ea recubantibus noceat eodemq; sensu Caryon dicitur, quòd cerebrum grauet, præsertim nux rancida & vetustior.

Nuces sunt duplices: aliæ maiores, quas vocant Nuces equinas: aliæ minores, quæ calyce teguntur, vel fragiliore, vt Molluscæ vulgares: vel duriore, & quasi lapideo, vt Morascillæ, vulgò Nuces lapideæ.

Nuces calidæ sentiuntur in tertio gradu: siccæ in principio secundi.

Hæc autem si sæpius comedantur, angustiam pectoris suis halitibus efficiũt, ideoq; tussim & dolores capitis exuscitant, imò etiam linguæ aliqvando paralysin.

**Singulare tamen remedium ex his conficitur contra omnis propemodum generis venena, quod primus Mithridates olim putatur inuenisse: nempe Nuces exiccatæ duæ, cum duabus ficubus, & rutæ foliis numero 20. addito parum salis contusæ instar electuarij & ieiuno ventriculo assumptæ, eo ipso die immunem ab omni veneno reddunt.*

**Cum cepa, sale & melle impositæ, prius tamẽ ieiuno vẽtriculo masticatæ, canis rabiosi morsibus prosunt. Itẽ cum solo melle & ruta luxatis abscessibus si illinantur, conferunt.*

** Succus ex viridi Nucum putamine Rob nucum dicitur, omni inflammationi atq; tumori gutturis vnicè prodest.*

**Aqua eiusdem putaminis destillata cum tertia parte aceti assumpta, incipiente ardore pestilentiali, intra 24. horas, priùs tamen habita sectione venæ, certissimum est pestis remedium.*

Echino conteguntur CASTANEAE, *& harum similes fructus Fagi.*

Castanea

Castanea ab vrbe Magnesiæ Castano dicta, arbor est Iuglandi ferè similis, foliis tamen plures venulas habentibus, magisq; serratis constans.

Fructus eius eodem nomine dicuntur Castaneæ : quarum aliæ rubicundiores sunt, quæ Meterranæ dicuntur : aliæ minùs rubicundæ. E quibus quæ sunt latiores & maiores, esuiq; aptiores, Tarentinæ: rotundiores verò, Balanitides vocantur.

** Omnes calidæ & siccæ sunt in primo gradu, & propter terrestrem materiam, summam obtinent constipandi facultatem: qua tamen alui & ventriculi fluxiones sistunt, & sanguinem excreantibus prosunt.*

Largius in cibo sumptæ, siue in aqua sint coctæ, siue tostæ, siue frixæ sint, nocent, multoq; magis crudæ. AEgrè enim concoquuntur, vẽtriculum nimis inflant & constipant. Pediculos etiam nimiùm deuoratæ gignunt.

Cineribus verò obrutæ ac tostæ, crudis & elixis meliores fiunt: præcipuè si cum sale, pipere & sacharo assumantur.

** Puluis tamen exiccatarum Castanearũ cum oculis cancrorum, & aqua hederæ vrinam probè ciet.*

FAGVS *arbor est spectatæ proceritatis, cortice crasso & albicante potissimùm, siue in rufum nigricante, foliis ferè laurinis, sed in ambitu serratis crescens.*

Fructus eius includitur calyculo in extrema parte etiam echinato, hispido ac scabro, interiùs nucleum triangularem tegente.

** Fructus hic quodammodo calidus est & dulcis, ac subadstringens. Folia autem magis frigida sunt : quæ esitata labiorum & gingiuarum vitiis mirè prosunt: tusa verò & illita, membra torpentia corroborant.*

Fructus ipse propter dulcedinẽ suibus gratissimus est: item gliribus atque muribus, qui è longinquis etiam regionibus gregatim syluas illas, vbi eum habere possint, ingrediuntur.

AR-

ARBORES *quarum fructus ex parte tantùm teguntur, sunt arbores glandiferæ, vt Quercus, Robur, Ilex, Suber.*

QVERCVS *arbor procera, crasso & aspero cortice, foliis profundè serratis, ramis plurimùm nodosis crescens: sic dicta, quòd in eo soliti erant dij gentium quærentibus responsa dare.*

Fructus eius essentialis est glans: accidentalis verò interdum proueniens est Galla: item Viscus, qui inde dicitur Quercinus.

Quercus moderatè calefacit & desiccat: omnisq; eius pars adstringendi simul facultate pollet: præsertim verò mēbrana, quæ sub calyculo glandis carnem vestit.

* *Aqua stillatitia foliorum iecinoris fluxiones, eiusq; putredinem, sicut etiam pulmonis, fœliciter curat. Profluuia mulierum tum alba, tum alia cohibet, sanguinemq; omnem coagulatum expellit.*

**Folia autem ipsa priùs contusa, recentibusq; vulneribus imposita, ea coniungunt, & absq; aliis conglutinant. Similiter incipientibus phlegmonis & pustulis ardentibus conducunt, calorem fortiorem extrahendo.*

GALLAE *in vetustioribus Quercubus potissimùm enascuntur, incipiente primum æstate, Sole Geminos relinquente: pleræque etiam tempore nocturno.*

Ex his aliæ minores, & magis rugosæ sunt, Græcè Omphacitides: aliæ maiores & læuiores.

Gallæ dissectæ interdum muscas, interdum formicas, sæpe etiam araneas intra se cōtinent. Vulgus indicat muscas, bella: formicas, annonæ caritatem: araneas verò pestilentiam præsagire.

* *Puluis Gallarum vulneribus inspersus, absque suturis ea consolidat.*

ROBVR, *est Quercuum species durissima, glandem minorem ferens: vnde quamlibet materiam fortem & duram*

à robore robuſtam appellamus.

ILEX *arbor glandifera ſpectatę proceritatis, foliis etiam laurinis, ſed minoribus & aculeatis perpetuò vireſcens, ligno denſo, & in atrum rubeſcente.*

Arbor hæc cæteris Quercubus rarior eſt: cuius ſpecies eſt Suber.

SVBER *arbor eſt fructu & folio Ilicis perpetua ſimiliter coma vireſcens: Ilice tamen minor, cortice craſſiſſimo, eoq́ exuto etiam, minimè inſtar aliarum arborum exareſcens: vnde etiam Ilex fœmina dicitur.*

Sed quia lignum eius admodum cauernoſum eſt, ideoq́ leuiſſimum: Arbor non baptiſata dicitur, & lignum eius ἀβάπτιστον, quod baptiſari, aut ſubſidere in aquis nequeat.

** Suberis cinis è vino calido ſanguinem excreantibus magnopere laudabilis eſt.*

213 Enumeratis arboribus fructiferis: ſequitur de earum ſimilibus.

ARbores fructiferarũ ſimiles ſunt Reſiniferæ omnes: quarum fructus ſunt Strobili; Nuces videlicet putamine ligneo ſquamatim compacto, ſubtuſq́ excauato concluſæ.

214 *Arbores propemodum omnes eiuſmodi perpetuò vireſcunt: quales ſunt Pinus, Picea, Larix, & ſimiles.*

Pinus, arbor eſt admodum ramoſa, acutis foliis veluti in pectine coniunctis: à quorum pinnato acumine nomen traxit.

Fructus Pini ſunt nuces pineæ quarũ putamina propriè Coni nominantur.

Nuces autem Pineæ calidæ & ſiccæ ſunt: vim pariter conglutinandi obtinentes.

** Tuſſi correptis & phthiſicis optimè conducunt: confortando & calefaciendo corporis partes vniuerſas.*

Pini

Pini species syluestris est Pinaster arbor altissima, maximaq; foliis pilosis, instar Pini domesticæ.

PICEA, *est arbor procera, cortice nigricante, tenace, lento, atque fluxili, ramusculis ad instar crucis, à duorum solummodo ramorum latere exeuntibus, foliis paululum latioribus, mollioribus, ac læuioribus, instar Rosmarini.*

Ex hac arbore resina inter lignum & corticẽ gummi modo concreta effluit.

Piceæ species est Abies, picea videlicet magis albicans, eiq; omninò similis: foliis tamen altero latere cinereis.

* *Ex hac etiam resina effluit Abietina dicta: quæ cum melle cocta prodest destillationib. capitis & gutturis, præsertim anginæ: adeoq; omnibus externis affectionibus commodè adhibetur.*

* *Maxima enim vis huius est sedare inflammationem vulnerum, eaq; pinguedine sua facilimè conglutinare.*

* *Cum farina hordei vinoq; decocta strumas induratas curat.*

LARIX *arbor est eximiè alta cortice perquam crasso, in rimas vndique dehiscente, ramis gradatim circa stipitem totum emissis, foliisque adnatis densis, oblongis, mollibus & comosis.*

Fructus eius sunt coni cupressinis admodum similes, & iucundum efflantes odorem.

Lignum arboris istius, quòd abundè sit siccum & resinosum, impetu flagrat adeò vehementi, vt nullo alio carbone in fornacem indito rude ferri metallum, celerius colliquescat, quàm Lariceo.

Resina Larigna, quæ ex Larice manat, præstantissima est, odore, gustu & facultate, quã vulgata Terebinthina acrior. Liquor iste est colore melleus, lentus, & nunquam durescens.

In Laricis arboris trunco fungus nascitur Agaricus, ab Agaria Sarmatiæ regione dictus.

Fungus

Fungus est selectissimus, si sit omninò albicans, rarus & porosus, adeoq́; leuis atque friabilis. Mas enim qui dicitur, grauis, densus, durus, niger & lignosus: minùs præstans est.

* *Agaricus autē in initio dulcis est, mox amarus, & subadstringens: vim obtinens incidendi, tenuandi, extergendi, digerendi, & obstructa liberandi facultatem. Præcipua verò vis eius est pituitæ expurgandæ idonea.*

213 *Fructiferis*] Quas tu fructiferis similes narras, sunt reuera fructiferæ, vt strobiliferæ omnes.

214 *Perpetuò*] Ita & bacciferæ laurus, & iuniperus.

Adhuc de Arboribus fructiferis, earumque similibus: sequitur de sterilibus.

STeriles arbores quæ fructum nullum notabilem procreant sunt, Vlmus, Almus, Tilia, Buxus, Betula, Salices, Populus, & aliæ eiusmodi.

VLMVS, *est arbor procera, foliis parumper crispis, & asperis, & quàm in pyro sint, leuioribus, ligno flauo, duro, & propemodum deformi.*

Cortex, ramuli, eorumq́; folia glutinandi facultatem obtinent.

* *Folia tusa & ex aceto illita malignam sanant scabiem, omniaq́; vulnerum labra iterum connectunt: adeoq́; Vlmi ipsius varius ad res varias vsus adhiberi potest.*

ALMVS, *arbor est caudice assurgens recto, ligno & medulla molliore, foliis instar pyrorum, attamen maioribus, solidioribusq́;, & aliquantulum rotundis. Gaudet locis humidioribus, & fluminum littoribus: vnde sic dicitur, quòd alatur amne.*

Arbor est impensè calida & sicca: vnde etiam lignum eius sub terris & aquis diutissimè durare potest.

* *Folia eius tenacia pinguiaq́; tumoribus & bubonibus*

 cum

cum aqua calida simul imposita certò curant: adeoq; viridia illa omnibus externis inflammationibus conducunt.

TILIA, *à lenitate & mollitie ligni Græca appellatione Philyra, arbor est ampla & patula, caudice & cortice crasso, foliis instar hederæ, mollioribus tamen, & in rotunditate magis acuminatis.*

Montibus gaudet humidioribus & conuallibus.

Folia præcipuè eius constringendi virtute prædita sunt: in cæteris eandem cum Oleastro potentiam habet.

BUXUS, *siue* PYXUS, *arbor est foliis minutis, rotundis, & perpetuò virescentibus, caudice aspero, plerunque & nodoso, nigricante, ligno subfusco, durissimo & grauissimo.*

Lignum enim huius præ omnibus aliis crassissimum & grauissimum est, neque ad ignem, neq; ad carbones idoneum, vt aquis nō supernatet, sed quàm primùm ad fundum earum subsidat, nec vllam cariem, aut senectam sentiat.

Vnde Pyxides à Pyxo nominantur, quòd optimum earum genus è buxo parari soleat.

Qualitas Buxi sicca & adstringens est.

Folia eius in puluerem contrita ex aqua Lauendulæ sumpta mania correptis prosunt.

Lixiuium è buxo paratum pilos flauescere facit.

Betula, arbor est tenera, cortice primùm fusco, deinde albicante, ligno leni atque fragili: primò ex aliis omnibus repleta succo dulcissimo.

Cortice huius arboris, præsertim albicante, veteres olim papyri loco vsi fuerunt,

**Succus eius, qui primo Vere colligitur, assumptus calculo & ictero plurimùm prodest: itemq; oris putredinem curat.*

Idem succus coagulo lactis immissus, prohibet ne vermiculi caseorum generentur.

SALYX, *dicta à saliendo, quòd ea celeritate crescat, vt quasi salire videatur: arbor est diutissimè durans, eò quòd plurimùm*

plurimùm etiam excauata, adeoq́; putrescere incipiens, nondum tamen corrumpatur.

Salix alia solidior est, alia fragilior.

Solidior est tum nigra, tum vitellina.

Nigra, quæ & Punicea dicitur, est salix maior atq́; melior, hinc inde iuxta sepes crescens: ex vsu etiam Viminalis dicta.

Vitellina est, quæ iuxta fluminum ripas potissimùm prouenit, colore subflauo, ferè instar vitelli ouorum: vnde etiam cognominatur: aliàs etiam candida.

Fragilior salix est colore magis albicante, quæ facilimè frangitur, ideoq́; nullius in vinciendo momenti est.

Salices exiccandi & incrassandi virtute pollent: præsertim verò in cortice & foliis.

**Folia Salicis cum cortice in vino decocta & ebibita vẽtris tormina sedant.*

POPVLVS *arbor, aquosis & humidis præsertim locis gaudens, diuerso colore conspicitur: nempe alia albicans est, alia nigricans.*

Populus alba, arbor est caudice lõgo & recto corticeq́; læui, foliis primùm rotundis, ac deinde angulosis, inferius viridibus, superius lanuginosis, iisq́; perpetuò trementibus.

Complexio eius est temperatè calida & humida.

Hinc conficitur vnguentum Populeonis, quod tempore Veris exudante resina optimè paratur.

** Radix huius arboris potu assumpta, octo dies tutos reddit à torminibus & stranguria ventris.*

Populus nigra, arbor est albę Populo omninò similis, paulùm tamen maior & lenior, & foliis angustioribus, inferius viridibus, superius cinericeis.

Calida & sicca hæc arbor est: in opificiis autem & mensis parandis vtilissima est.

Ramuli manu retenti prohibent laßitudinem & defatigationem tum pedum tum manuum in itinere.

 ** Gummi*

* *Gummi arboris tritum & assumptum profluuio alui prodest.*

Tantum de Arboribus: sequitur de Fruticibus.

FRutices autem sunt stirpes multiplici caudice assurgentes.

Fructicum plantæ vel nobiliores sunt, vel minùs nobiles.

Nobiliores frutices sunt Cinamomum, Cassia fistula, &c.

215 CINAMOMVM *est cortex fruticis similis eiusdem nominis in India crescentis, colore subnigro, virgulis siue ramulis tenuissimis, qui si frangantur, copiosissimum de se odorem spirant.*

Cortex Cinamomi duplex est: alius subtilis ac tenuis, alius crassior. Tenuis est acerrimi & optimi saporis: crassus autem tardiùs digeritur ad confortandum cor hominis.

Eligitur in primis Cinamomum quod magis rufescit & acre est, admixtam habens aliquam dulcedinem.

Cinamomum proinde summè tenuium partium est, in ordine tertio calidum, & siccum in secundo. Conuenit igitur refrigerato ventriculo: visum corroborat, itemq́; cor, epar: & sanguinem puriorem gignit.

216 CASSIA *fistula est rotunda magna & purpurea fistula, intrinsecus habens medullam omninò atram.*

Fistulæ grauiores & purpureæ in hoc genere sunt reliquis meliores.

E nigricante huius fistulæ pulpa optimum cōficitur & lenissimum medicamentum purgans, quod Cassiam solutiuam, vel Cassiam extractam vocamus.

* *Caßia illa extracta grauioribus febribus admodum salutaris est, ob lenem suam purgandi facultatem: imò aliis etiam*

etiam morbis plurimis, si unciæ vnius pondere ex aqua rosata assumatur.

FRVTICES *minus nobiles sunt Corylus, Sambucus, Oxyacantha, Ribes, Rosa, Rubus, Poterion, Colatea.*

CORYLVS *est frutex altior, caudice tenui, pingui, & albicantibus maculis distincto, foliis Alni paululum latioribus & serratis, decidentibus iulis nuces auellanas ferens.*

** Nuces auellanæ calidæ sunt, & multa humiditate refertæ: ideoq́, comestæ multum impinguant quidem: sed stomacho tamen infestæ sunt, & facilè desynteriam procreant: præsertim verò quæ membranula rubicundiore teguntur.*

Virides tamen innocentiores sunt aridis.

Tritæ autem & ex aqua mulsa potæ tussi veteri medentur. Cinis crematarum addita axungia, aut vrsi adipe, capiti impositus alopeciam curat.

SAMBVCVS *à Sambyco autore nomen habens, frutex est ramulis assurgens omninò cineraceis, in interna cauitate medulla molliore repletis, foliis propemodum Iuglandis.*

Fructus eius sunt baccæ purpureæ succum sanguinolentum habentes.

Sambuci species est Ebulus, humilis & breuis: quo sensu dicitur Chamæacte, quasi terrestris Sambucus.

Est autem frutex caudice crescens quadrangulari, foliis ferè amygdalarum seiunctis, & alarum instar extensis.

Vtraque autem planta calida & sicca est, digerendi & expurgandi vim obtinens: virtute insuper conglutinandi prædita.

** Radix verò Sambuci, vel folia eius in vino sigillatim decocta, & ebibita hydropicos validè expurgat.*

** Et ad eundem effectum radice Ebuli nihil est potentius & efficacius.*

** Aqua, in qua decoquuntur folia Sambuci plurimum tussi aridiori conuenit.*

Pupa aut electuarium è baccis Sambuci paratum, sudores & omne venenum è corporibus expellit.

OXYACANTHA, *vulgò Berberis, frutex est pyro syluestri haud dissimilis: minor tamen, & in ramulis duobus, vel tribus, vt plurimùm hinc inde spinis coniunctis, foliis mali Cydoniæ, sed angustioribus.*

Oxyacantha frigida & sicca est in gradu 2.

* *Succus baccarum inflammationi epatis vnicè conducit, aliisq; apostematibus extrinsecus impositus, præsertim si commisceatur cum aqua Solani: sitim quoque restinguit.*

* *Cortex radicis contritus, item fructus eius contusus & impositus ad extrahendum infixa tela, ossa, spinas, vitrum mirè prodest.*

* *Syrupus inde confectus cum saccharo, aut vinum præparatum, cor multum confortat, & ventriculi appetitum restituit, febribus ardentibus confert, adeoq; omnibus morbis interioribus à nimio sanguinis feruore ortis conducit.*

RIBES, *frutex est ramulis purpureis, foliis Pampini, sed minoribus, & ex viridi nigricantibus, baccas rotundas, eásque rufescentes, pediculis longis annexas ferens.*

Fructus eius & folia frigida siccaq; sunt in 2. gradu, virtute pariter conglutinandi exornata.

* *Succus igitur fructuum quomodocunque præparatus tremori cordis auxiliatur, & omni inflammationi totius corporis, præsertim quoque peste correptis.*

* *Rob etiam, siue succus ille cum aqua Endiuiæ morbillis plurimùm conducit.*

ROSA *frutex est minor, virgulis excrescens in viridi nigricantibus maculis, multis incuruatis spinis, foliis etiam quodammodo serratis, fructus producens rosas varicolores.*

Rosæ omnes frigidæ & siccæ sunt temperatè, & internis & externis corporum affectionibus vtiles.

* *Succus earum in vino decoctus tollit dolores capitis & oculorum: gingiuæ etiam, si eo abluantur, restituuntur.*

* *Mel rosatũ optimè partes quaslibet corroborat, omnẽq; materiam melancholicam, atque phelgmaticam educit: præsertim si exhibeatur cum decocto fœniculi, addita portione aliqua salis.*

* *Oleum pariter rosarum ambustis omnibus salutare est, & fronti illitum capitis grauedinem calidosq; affectus sedat.*

* *Fungus in syluestribus præcipuè rosis crescens, in puluerem contritus, & cum vino bibitus ad calculum expellendum efficax est: & quidem vermiculi in eo reperti ad eundem affectum validiores sunt.*

Aqua earum oculis infusa rubedini atq; putredini, aliisq; morbis illorum curandis conuenit.

Aqua etiam eiusmodi, præsertm rubearum, pota, confortat, & moderatè refrigerat cerebrum, cor, ventriculum: itemq; spiritus & calorem naturalem, eaq; omnia à putredine conseruat.

RVBVS, *frutex est valdè spinosus, latè serpẽs, foliis Fragariæ, altera parte albicantibus, altera verò nigricantibus.*

Fructus eius sunt MORA *Celsi, siue Vaticana: similes omninò Mori fructibus primùm viridibus, deinde nigris, succiq; plenis.*

Rubi species est rubus, qui dicitur ab Ida monte Idæus, frutex Rubo vulgari minor, minusq; etiam spinosus fructu dulci rubescente & concauo.

Vterque autem rubus virtute exiccandi & refrigerandi: itemq; ex tota substantia contrahendi pollet.

* *Succus eius expressus & in crassitudinem mellis in Sole coactus melior est recentiore: mixtus autem cum syrupo de Saluia singulis diebus ad dimidiam vnciam epotus multum conducit leprosis.*

Folia Rubi, flores, germina, fructus in aquis decocta, & vel

 epota,

epota, vel linteis circumlita, omnem internum ardorem mirè restinguunt.

Summitates foliorum exiccatorum in vino decoctæ si bibantur, confestim sanguinolentum alui profluuium sedant. similiter etiam oris vlceribus conueniunt: itemq; dentes immobiles reddunt.

POTERION, *siue Vua crispa, aut Grossularis, frutex est admodum ramosus, cortice cineraceo, vel subalbo, pluribus acutis spinis, foliis ferè Chamæcissi minoribus, incuruatis baccas ex viridi rubentes ferens.*

Grossularis frigida est in primo, & sicca in secundo.

* *Baccæ eius nondum immaturæ cholericis aliisq; imbecillioribus in cibo sumptæ conueniunt.*

* *Folia recens decerpta inflammationibus & latè serpentibus apostematibus: item igni sacro commodè ad sedandos dolores imponi possunt.*

COLVTEA *est frutex, siue arbuscula lignosa, foliis Fœnugræco non absimilibus, fructum rotundum, magnitudine lentis, in siliqua flatu turgente ferens.*

Calida hæc est in principio secundi, & sicca in primo ordine: aluo purgandæ vtilis.

* *Atram bilem præcipuè citra molestiam educit, & caput ac cerebrum, & sensuum instrumenta à noxis purgat humoribus: adeò quidem, vt aduersus omnia vitia ab atra bile maximoperè conducat.*

215.216 *Cinamomum*] Statueras frutices docere: cur igitur in cinamomo & Cassia, corticibus, & siliquis, discipulum ludis? Et cum cinamomum arbor sit, & Cassia, satis grandis: haud rectè inter frutices recensentur: id quod de Sambuco, & Corylo tenendùm: arboribus, cum prædictarum nonnullis, iunipero, & lauro, &c. magnitudine comparandis.

Adhuc

Adhuc de Stirpibus, quæ caudice excreſcunt: ſequitur de aliis, quæ caule enaſcuntur.

DE HERBIS.

217 *HErbæ autem ſunt plantæ tenui caule foliatæ prouenientes.*

Suntq; vel alimentariæ, vel minùs alimentariæ.

Alimentariæ ſunt, quarum potiſſimus vſus eſt in alimentis hominum.

Eiuſmodi ſunt tum frumentaceæ, earumq; ſimiles, tum oleraceæ vniuerſæ.

Frumẽta ſunt Triticum, Hordeum, Spleta, Siligo, Auena.

TRITICVM *eſt planta frumentacea calamo ſpicam effundens pluribus granis craſſioribus refertam.*

Triticum moderatè calidum & ſiccum eſt, multum alimenti præbens, affectionibus pluribus tam internis, quàm externis vtile.

Triticum optimum erit fractu contumax, lentum, graue, colore aureum, læue, trimeſtre pinguiq; terra ortum.

Farina verò eius præſtat modicè molita, recentioris temporis & tenuioris furfuris.

* *Fermentum verò è tritico factum virtutem habet attrahendi, maturandi aperiendiq; vlcera & apoſtemata, præſertim quoque clauos, ſi cum ſale mixtum imponatur.*

Oleum è granis Tritici ad vlcerum ſinus commendatiſſimum eſt.

* *Amylum ex tritico factum, paululum ipſo tritico frigidiùs eſt, & ſiccius: conueniens iis qui capitis fluxionibus ſunt obnoxij. Vtile quoque eſt ſanguinem excreantibus ex aqua inſtar iuſculi aſſumptum.*

* *Item tuſſiculoſis & alui fluore correptis plurimum conducit, cum aqua hordei & ſaccharo exhibitum.*

HOR-

HORDEVM *est frumentum, granis in spica acutioribus & subflauescentibus ex culmo excrescens.*

Frigidum hoc & siccum est in secundo ordine, vim pariter abstergendi obtinens.

* *Farina eius cum lacte recens emulcto ad formam emplastri redacta, vlcerosos tumores & pustulas quaslibet breui tempore curat, dolores sedando, & ardorem extrahendo.*

* *Farina eadem cum aceto & butyro membra luxata restituit.*

Alimentum inde paratum duriusculum frigidiores propemodum & lentos humores generat, minus quàm Triticum nutriens.

Aquæ autem hordeaceæ potus omnibus fermè febribus est salubris, vbi vehementior sit inflammatio.

Aqua decoctionis hordei percolata cutem facici asperiorem redditam si ea abluatur, leuem & æqualem reddens meliore colore eam exornat.

SPELTA, *Veteribus Zea, frumentum est hordeo propemodum simile, melioris odoris grana interdum simplicia, interdum in geminis putaminibus bina ferens.*

* *Spelta frigida & parumper sicca est, adeoq; vniuersa sua facultate in medio Tritici & Hordei est: minus etiam quàm Triticum, plus quàm Hordeum alens.*

Conuenit omnibus tumoribus ex vino vel aceto decocta & imposita.

* *Prodest etiam tussi asperiori, pulmoni humidiori, & pectori emolliendo.*

SILIGO *frumentacea, vulgò simpliciter Frumentum: excrescit vnico calamo, aristas ferens granis rotundioribus, longioribúsque refertas.*

* *Siliginis minor quàm Tritici caliditas est: panis inde confectus si non probè coquatur, multorum malorum origo est.*

* *Eius-*

* *Eiuſmodi tamen panis ſi ex aqua fontana probè ſalita tribus diebus continuò edatur, graueolentiam oris repellit.*

AVENA, *frumentum eſt foliis & ſtipula Tritico ſimile, in cacuminibus dependentes paruulas veluti locuſtas bipedes continens.*

Hæc Tritico paululum frigidior eſt, & vim hordeo ſimilem obtinet, ſine morſu deſiccans, & ob leuem acrimoniam mediocriter digerens; vnde ventris profluuia & induratas phlegmonas iuuat.

Farina auenæ toſta & cum mulſa aſſumpta diuturnæ tuſſi confert.

217 *Tenui*] Aliquæ ſunt quæ omnino caule carẽt, vt carduus ſine caule, tichen, mandragoras. Reliqua huius capitis ſunt fere omnia medica therapeutica, vt & ſequentium quàm plurima.

Adhuc de Frumentis: ſequitur de Leguminibus.

F*Rumentorum ſimiles plantæ ſunt legumina: quo nomine dicuntur omnes ſegetes, quæ manu leguntur: eodemq́; ſenſu legaria etiam appellantur,*

Eiuſmodi plantæ ſunt Oryza, Milium, Lentes, Piſa, Fabæ, & ſimiles.

MILIVM *eſt legumen fertiliſſimum, acutis foliis, & turbinis inſtar faſtigiatis, panniculis ſemen teres & pendulum gerens.*

Huius qualitates ſunt frigiditas primi ordinis, & ſiccitas tertij.

* *Aluum igitur humentem deſiccat, parum alioquin nutrimenti adferens.*

* *Foris impositum in sacculis idoneum fomentum est eorum, quæ citra morsum exiccanda sunt: similiter etiam cataplasmatis modo illitum.*

Eodem modo torretur, & feruens in sacculo impositum torminibus aliisue doloribus multis auxilium præstat.

ORYZA *est legumen Milio tenuius, & multò minus, iuba semina ferens: quæ in humidis & aquosis locis vtplurimùm prouenit.*

Vis eius quodammodo adstictoria: quapropter etiam ventrem mediocriter sistit, vt ferè omnes in sistenda aluo ea vtantur.

LENS *legumen est instar Cicerum excrescens, granula minuscula, eaquè propemodum rotundiora continens.*

* *Optima est quæ aquam maximè absorbens, facilimè coquitur: eaq; aluum adstringendi virtutem obtinet, præsertim cui Beta aut Plantago additur.*

PISA *sunt legumina altius capreolis suis, quos exerunt, sese annectendo crescentia, granis rotundis, in siliqua inclusis cylindracea.*

Sunt autem alia campestria, quæ præcipuè in aruis seruntur, minora, & humi repentia, flore purpureo: alia sunt hortensia, eáque vel album florem, vel purpureum ferunt.

FABA *legumen est foliis Trifolij è viridi nigricantibus, & pinguibus, quasi virgultis assurgens, floribus albicantibus, intrinsecus macula nigricante distinctis, fructum suum in valuulis ferens.*

Mediam frigidæ & humidæ qualitatis naturam obtinet: attamen inflationem excitat, ideoq; ægrè concoquitur.

Fresa autem Faba, hoc est, leuiter confracta & decorticata facilius digeritur.

Fabarum putamina radicibus aut germinibus aliarum plantarum nouellarum apposita, earum vitam specifica quadam virtute tollunt.

Aqua autem è floribus illarum destillata linteoloq́; imposita, ſpinas, oſſa, aliaq́; infixa extrahit.

Abſolutis Leguminibus: ſequitur de Oleribus.

Oleraceæ plantæ ſunt Braſſica, Spinacea, Lactuca, Beta, Portulaca, Malua, Cepa, Porrum, Petroſelinum, & aliæ.

Brassica *eſt olus foliis latioribus conſtans, quæ ſi in rotunditatem capitis conſtringantur, Capacitatum dicitur.*

218 *Frigidæ & humidæ complexionis eſt, & virtute exiccandi abſque acredine prædita: ſummam commoditatem exhibens tum hominibus, tum animantibus.*

In Ægypto tamen propter ſummam amaritudinem non aſſumitur.

Romani olim antequam haberent expertos Medicos, hoc vno olere contenti ferè ſexcentos annos in pleriſque morbis curandis vſi fuerunt.

Decocta vel etiam aqua inde deſtillata calculo in primis & arenulis renum conducit.

Folia eius per ſe illita, aut cum polenta trita, inflammationibus & tumoribus proſunt. Similiter crudus eorum ſuccus illitus veteribus & ſordidis vlceribus conuenit.

Capeti impoſita alopeciam curat.

Iuſculum foliorum cum Gallo vetere decoctorum cholicam aliaq́; ventris tormina ſedat.

Spinacea, *ſiue* Spanachia, *olus eſt caule altiore, ſemina acuta ferens, foliis ſuprà acutis, infrà latioribus & mucronatis.*

Frigida hæc eſt & humida in fine 1. gradus.

Iuſculum huius ebibitum vitioſas humiditates expellit,

ventrem

ventrem emolliendi virtute. Similiter etiam aßumptum dolores dorsi, & alui duritiem curat.

Vnguentum etiam ex hac paratum epati & ventriculo impositum dolores & ardorem eorum tollit. Idem quoq; morsui aranearum prodest.

LACTVCA, *quòd lacte abundet, dicta, est olus foliis in orbem conglobatis crispum.*

Hæc in campestribus locis crescens folio & caule breuior est quàm satiua: gustu tamen amara, & lacte copiosiore.

Lactuca humida est & frigida moderatè, instar aquæ fontanæ, ideoq; herba hæc grata est, æstiuo præsertim tempore, & admodum salubris, fastidium enim tollens cibi appetentiam restaurat: quamobrem etiam omnibus oleribus aliis præfertur.

Frequentior tamen vsus eius, oculorum celeritati officit.

Agrestis Lactucæ succus cum lacte mulierum ad adustiones inungetur.

BETA, *duplici colore distinguitur.*

Beta enim vel candida est, vel ex nigro rufescens: vtraque digerendi & extergendi virtutem obtinet ob suam nitrositatem: maiorem tamen candida, minorem verò nigra, vtpotè quæ adiunctum habet adstrictionis aliquid: si autem decoquitur, eam paulùlum amittit.

Iecoris obstructionibus aptissimè accommodatur: magis autem vbi cum aceto, aut sinapi assumitur. manducata etiam lienosos mirificè iuuat.

PORTVLACA *est herba oleracea, foliis rotundis, & omninò pinguibus, crassiusculisq;, à tergo candidis: caule etiam rotundo & subrubente, floribus stellatis atque subflauis.*

Vna

Vna ſatiua eſt, folijs latioribus & caule craſſiore: altera ſylueſtris, minoribus & crebrioribus foliis.

Portulaca frigida ferè eſt in primo gradu, & humida in ſecundo: paululum auſteritatis obtinens.

Calidas idcircò & bilioſas maximè fluxiones repellit: ſuccus eius æſtuanti ventriculo, & hypochondriacis conuenit: maximè in febribus hecticis epotus, aut foris etiam impoſitus.

Et in vniuerſum omnibus calidis affectibus prodeſt.

Et quia ſubadſtringit, vtiliter adhibetur dyſentericis, profluuio muliebri & aliis ſanguinis reiectionibus, præſertim ſi cum farina hordei vſurpetur.

MALVA *hortenſis folio excreſcit magno, rotundo, caule tricubitali, floribus roſarum ſpecie rubentibus, vel ſubrubeis: item candidis.*

Hæc ſi agreſtis ſit, leuiter emollientis, paululumq́; digerentis facultatis eſt: hortenſis verò quantò humidior, tantò imbecillior cognoſcitur.

Decoctio Maluarum bibita antiquam tuſſim ſedat: item decoctio foliorum cum oleo communi illita, ambuſtioni confert.

CEPA *olus eſt caule ſubtili & rotunda, excauata, aſſurgens è radice bulboſa, variis ſegmentis in rotunditate diſtincta.*

Cepa calidioris eſt complexionis, propemodum in quarto ordine: craſſiorum tamen partium.

Succus autem eius ſubſtantiæ & caliditatis aereæ.

Cepa per noctem aquæ frigidæ immerſa, eam aquæ vim imprimit, vt illa ebibita vermes puerorum expellat.

Cum ſale contuſa, impoſitaq́;, verrucas radicitus extrahit.

Scabiei malignæ remedium vtile paratur, ſi cepæ in quãtitate oui medij contuſæ, & cum exigua Mercurij extincti

portione

portione mixtæ addatur lardum porci castrati: itemq́; Lauri baccarum puluis: & his commixtis iterum omnibus caput inungatur.

Succus Cepæ cum melle & aceto rutaceo emplastri instar inunctus, morsum rabiosi canis curat.

Idem auribus infusus saniem, aliosq́; putridos humores educit, & surditatem tollit.

PORRVM *instar Ceparum ferè accrescit, in salatitiis admodum frequens: eiusdem facultatis etiam, cuius Cepæ, particeps.*

Id verò genus, quod dicitur Porrum capitatum, tam sanis quàm ægris parum conueniens est: præsertim verò iis, qui debiliorem habent stomachum.

Emplastri modo contusis membris imposita hæc planta, tumorem & sanguinem coagulatum dissoluit.

PETROSELINVM, *antiquorum Apium hortense, est olus foliis Cicutæ instar per ambitum lancinatis, semine vmbella velut Anethi incluso.*

Planta est hæc tertij calefacientium & desiccantium, ori stomachoq́; gratissima.

Vi pariter penetrandi & resoluendi pollet efficacissima, ideoq́; planè diuretica est, siue cocta, siue cruda assumatur.

Semen verò quàm ipsa herba longè efficacius est.

Vt autem vrinas, ita menses etiam valenter ciet: epar expurgat: itemq́; renum & vesicæ dolores calculósque curat.

Radix vnà cum foliis & seminibus comesta, sedat tumorem ventriculi, aliarumq́; partium, & dolores dorsi: quoniam penetrando exiccat & absumit vitiosas humiditates. Et semen contusum achoribus impositum optimè conducit.

218 *Frigidæ & humidæ*] Quo ingenio, aut arte, ista componas, humidæ complexionis esse, virtute tamen siccandi præditum difficile est coniicere. Siquidem

quidem quæ ſiccant, complexionis ratione ſiccant: ſaltem complexioni contrariam vim nullam obtinent. Sunt certa quædam, vt Rhabarbarum alos, quæ diuerſis partibus conſtantia, contrarias actiones producunt, ſecundum partium diuerſitatem: eadem tamen primis qualitatibus pugnantia effecta producere, nulla Natura poteſt, præſertim complexioni contraria. Vnde namque niſi ab ipſa complexione haberent qualitates has & contrariam agendi vim? Neque prætermittendum eſt braſſicam ſiccandi & primo gradu calefaciendi vi præditam eſſe: Nam tremulis prodeſt, duiretica facultate pollet, ſordidis vlceribus conducit, menſes ciet, denique multas commoditates valetudinis & tuendæ, & recuperandæ habet: quæ omnino frigiditati & humiditati contrariæ ſunt. Ergo aliter de braſſica tibi ſentiendum. Quæ reliqua huius libri ſunt infinita continent therapeutica, & aſteriſcum fatigantia.

Hucuſque de Herbis alimentariis: ſequitur de aliis minus alimentariis.

Herbæ autem minus alimentariæ nominantur omnes, quarum vſus in alimentorum aſſumptione rarior eſt.

219 *Eiuſmodi ſunt tum Coronariæ, tum Medicamentoſæ.*

Coronariæ, quæ propter odorem ſuauiorem ad ornatum quoque corporis, in coronis maximè, expetuntur: quales ſunt Violæ, eiuſq́; ſpecies: item herba Trinitatis, Bellis, Flos garyophyllorum, Maiorana, Roſmarinus, Nardus, Narciſſus, Lychnis coronaria, & aliæ.

VIOLA planta est foliis excrescens Hederæ minoribus tenuioribusq́, sed magis nigricantibus, cauliculis è media radice prouenientibus, florem purpureum ferens, seminaq́; propé radicem granulosa obtinens.

Nascitur plerunque in opacis prope sepes & alibi: quæ autem in vmbrosis syluarum locis prouenit, eandem figuram obtinet, sed absque odore: ideoque Viola canina dicitur.

Violarum complexio frigida est in primo, humidaque in secundo gradu: conueniens omninò hominum corporibus.

Dolores igitur calidos quoslibet refrigerant, & inflammationes leniunt: sigillatim verò capitis doloribus prosunt feruorem mitigantes, somnumq́; conciliantes.

Pectoris etiam asperæq́; arteriæ scabritiem leniunt, præsertim si ex diluto vel syrupo, quem idcircò Violaceum nominant, assumantur: qui syrupus etiam, siue succus earum ventrem singulariter lenit ac emollit

Oleum quoq́; inde paratū tam externis, quàm internis inflammationibus vnicè confert: auribus instillatum, dolores earum mulcet: ventriculo inunctum cum puluere seminis Santonici, lumbricos expellit.

Violæ species sunt Viola matronalis, Leucoion luteum, & quæ his addi potest, herba Trinitatis.

Viola matronalis, est herba suffruticosa, pluribus quasi ramulis, foliis longiusculis, acutis & mollibus, iisq́; lanuginosis, proueniens.

Viola hæc distincto florum genere variat: flores enim habet, vel albicantes, & Leucoion, siue Viola alba dicitur; vel rubicundos, vel purpureos: quæ hac coloris appellatione cognominatur.

Omnis autem eiusmodi Viola, quæ tum odoris suauitate, tum coloris varietate admodum frequenter vbique colitur, intensè

intensè calida, & quodammodo humida est.

Decoctio foliorum multum tussientibus, & anhelitus difficultate laborantibus utilis est. & præcipua eorum vis est per sudores expellere recrementitias humiditates.

Ex Leucoio, id est, albæ Violæ floribus, unguentum paratur Iasminum, omninò odoratum, præcipuè apud Persas, variis affectibus è pituitæ lentore ortis idoneum.

Leucoion luteum, vulgata Arabum appellatione Cheiri, *est Viola præcedentis omninò similis, floribus saltem luteis conspicua.*

Violæ huius complexio est calida & sicca, in partibus admodum tenuibus, & facultas plurimùm extergens: præsertim verò florum, quorum maior est etiam, quàm aliorum, usus.

Florum Leucoij succus oculis immissus maculas eorum deformes abstergit.

Similiter flores cum melle decocti oris exulcerationem putredinemq; curant.

Simplex eorum decoctio menses, secundinas, ac fœtum quoque mortuum eiicit.

Aqua è floribus illis destillata linguæ difficultati, & paralysi, itemq; laterum affectibus singulariter prodest. Præterea manuum tremori utilis est, si ea abluantur: & faciei maculis qualibuscunq; abstergendis.

Oleum inde paratum, vulgò Cheirinum, prædictis & aliis morbis valdè salubre, præsertim tumoribus lienis.

Herba Trinitatis, *sive Viola flammea, aut Iacea, est herba, caule triangulari molliusculo, concavoq;, foliis rotundis per ambitum serratis floribus tricoloribus, albo, luteo, puniceoq; simul exornata.*

Calida hæc est & sicca in tertio gradu, virtute penetrandi digerendiq; præstans.

Ægrè spirantibus, & pulmonum inflammatione laborantibus

borantibus opem insignem adfert: ad intestinorum quoque ramices haud incommoda: quin & cutis vitia curare potis est.

BELLIS, *herba est foliis longiusculis superius subrotundis, & in extremitate minutim serratis, iisq; in humo rotæ in modum radiantibus, flores cauliculis villosis & flexibilibus ferens centrotenus aureos: in ambitu veró foliis in purpuram rubentibus circundatos.*

Radix, itemq; folia eius frigida sunt, & humida vsque in secundum gradum.

Conducit maximoperè strumis & capitis fracturis: item vulneribus thoracis, vel in pectoris vsque cauitatem penetrantibus.

Folia, præsertim viridia, vulnerum inflammationi imposita prosunt. similiter etiam contusa aliis tumoribus prosunt.

Flores, à phthisicis ieiuno ventriculo & vesperi, antequam cubitum eant, comesti plurimum eos iuuant.

Aqua inde destillata inflammationi & pustulis linguæ confert, aliarumque partium æstum curat.

FLOS GARYOPHYLLORVM, *vulgò Herba Tunica, siue Betonica coronaria, herba est foliis acutis, instar graminis excrescens, flores varicolores odoratos ferens.*

Huius quædam species in squalidioribus montibus, & locis syluestribus prouenien, Tunica syluestris dicitur.

Fols ille recens contusus, capitis vulnera glutinat, eorumq; dolorem sedat: item ossicula, spinas, aliaq; extrahendi virtute pollet.

Similiter radix suffumigata, aut ipsa etiam herba in aquis decocta, capitiq; imposita dolores eius mitigat.

Tunicæ syluestris aqua singulare remedium est calculosis, duorum triúmue cochlearium quantitate ebibita.

MAIORANA, *aliâs Sanpsuchus, item Amaracus,* herba

herba est caule ferè lignoso, multis hirsutis rotundioribusq; foliis suauissimum odorem spirans.

Maiorana calida & sicca est in primo gradu, tenuium partium & digerentis facultatis membris igitur calefaciendis conducens, concoctionem quoque adiuuat, & vrinam ciet.

Succus eius naribus inditus cerebrum maximè corroborat: puluis eius cum zinzibere immissus destillationibus conuenit.

Idem puluis cum melle inunctus sugillatis, & sanguini coagulato è corporis partibus expellendo vtiliter adhibetur.

Aqua Maioranæ amissam loquelam restituit.

220 LIBANOTIS, *siue* ROSMARINVS, *herba est ramulis tenuibus, foliis minutis, densis, subtus canis, supernè virentibus, thuris odorem spirans.*

Libanotis calida & sicca est in tertio ordine: emollientis, insuper digerentis & abstergentis facultatis est.

Succus herbæ adiecto melle illitus, oculorum aciem exacuit: semen maximè ictericis cum vino & pipere propinatur.

Vinum decoctionis foliorum manè & serò tepidè haustum, sanguinem puriorem reddit, appetitum restaurat, omnesq; interiores humiditates absumit, & expuitionem earum promouet.

NARDVS INDICA, *siue* SPICA NARDI, *est planta caule suffruticoso, foliis angustis & spicatis, odorem suauissimum exhibens.*

Herba ipsa calida in primo, & sicca in secundo est: confortandi, digerendiq; simul, & repercutiendi virtute præstans.

Oleum inde paratur odoratissimum, vulgò Oleum Spicæ vocant, facultatem obtinens calefaciendi, digerendi, subtiliandi:

liandi: ideoq; omnibus frigidis atque flatulentis cerebri, item ventriculi, epatis, renum, vteri & vesicæ affectionibus prodest.

Herba ex potu frigidæ assumpta nauseam & distentionem ventriculi curat: ictero pariter & renum doloribus confert.

Aqua inde destillata innumeras facultates obtinet tam intrinsecus, quàm extrinsecus vsurpata, ad varias capitis cerebriq; passiones: præsertim verò destillationibus eius conueniens.

Ad sincopen insuper & linguæ difficultatem admodum salutaris est.

NARDVS GERMANICA, vulgò Lauandula, est herba cauis cauliculis quadratis, foliis pluribus ex cineraceo virescentibus, paulò latioribus, & Rosmarini longioribus, in quorum cacumine flores spicati, purpurei, minuti feruntur.

Excalfacit & siccat ordine secundo completo: conuulsis, resolutis, & omnibus cerebri frigidis passionibus auxiliatur, ventriculum & iecur ab infractis humoribus liberat.

Flores Lauandulæ singulari quadam virtute apoplexiæ medentur: è vino assumpti vrinam cient: similiter quoque cardiacam & icterum curant.

Aqua verò ad vertiginem capitis plurimùm conducit, vnciæ vnius pondere assumpta, ac denique ad spasmum.

NARCISSVS, planta est foliis conspicua, Porri similibus, minoribus tamen, & angustioribus, caule vacuo, flores in cacumine suo albos, intusq; croceos, siue etiam purpureos ferens.

Elegantiore plerunque forma & suaui odore nascitur in montibus: est autem calidæ siccæq; complexionis: virtute etiam

etiam conglutinandi vulnera, inprimis neruorum, non illaudabili præstans.

Herba Narcissi vnà cum radicibus contusa, inflammatis puerperarum mamillis, aliarumq; partium ambustis, vtilissima est.

Radix verò cum farina Fabarum decocta, & imposita, induratos & scirrhosos tumores emollit: itemq; clauos, spinas & sagittas extrahit.

LYCHNIS *coronaria herba est caule lanuginoso, foliis longis, tomentosis, & albicantibus, flores purpureos, albæ violæ similes, propemodum ferens.*

Folia huius ad lucernarum vsum pro ellychnio Veteres vsurparunt, ideoq; lychnis dicta fuit: Coronaria autem, quòd ad coronas expeteretur.

** Semen calidum & siccum ferè in secundo ordine completo, maximè in vsu est. In vino potum efficax est contra Scorpionum ictus: qui etiam herbæ eius appositu torpescunt.*

219 *Medicamentosæ*] Atqui (Scriboni) ipsæ coronariæ, admodum medicamentosæ sunt, & Promptuarium habent generosissimorum remediorum, etiam teipso Promo: vt viola inflammationes lenire, tussim mitigare: bellis strumis, & capitis fracturis conducere: Tunica capitis dolorem sedare, & reliquæ fere omnes, quibus saluberrimæ à te ascribuntur facultates.

220 *Rosmarinus*] Potius ad fruticum classem libanitidem hanc retulisses, cum satis crasso, & lignoso caudice nitatur, & nonnullis arboribus sese æquet proceritate.

Tantum de Plantis Coronariis: sequitur deinceps de Medicamentosis.

221 *Herbæ medicamentosæ sunt quarum potior & crebior vsus est in morborum remediis.*

Eiusmodi sunt tum Aromaticæ, tum aliæ vniuersæ.

222 *Aromaticæ pleræq; ob naturam suam familiarem atque gratam, in confortandis, siue corroborandis corporum humanorum viribus potissimum vsum præstant: vnde etiam hoc nominis traxerunt.*

Eandemq; ob causam cibis etiam vtplurimum inspergi cœperunt, qui alioquin partium corporis concoctricem facultatem læsuri fuissent.

Aromaticæ istæ herbæ sunt Crocus, Zinziber, Zedoaria, Galanga, Calamus aromaticus, Acorus, & aliæ similes.

CROCVS *herba est aromatica, foliis oblongioribus instar foliorum graminis omninò angustis & acutis, caule florem maiorem purpureum ferens, in cuius medio rubea capillamenta Croci dependent.*

Olim Crocus in primis Corycæus & Lycius in Olympo monte crescens commendatus fuit: at hodie celebratur Orientalis & præcipuè qui nunc in Germania nascitur.

Crocus autem calidus est in secundo, siccus insuper in primo gradu, paululum etiam adstringentis & concoquentis virtutis obtinens: quæ facultates eius in quintum vsque annum durare possunt, si diligenter custodiatur.

Cordis præcipuè vtilissima confortatio est: item ventriculi: sanguinem puriorem reddens, vrinamq; satis copiosè ciens.

Difficulter respirantibus, & in thorace multum repletis expertissimum remedium præstat: maximè si scrupuli quantitate cum Ambræ grano dimidio calidè ex vino albo assumatur.

Cauen-

Cauēdum verò fuerit, ne unquam una vice ultra drachmam facilè de eo propinemus: secus enim si duarū aut trium drachmarum pondere assumatur, lethalis est.

Si cum mica panis & lacte contritus apostematibus & & tumoribus imponatur, mitigat eorum dolores, & simul emollit & aperit.

ZINZIBER *est herba foliis arundinaceis bis terve in anno reuirescentibus, in cacumine fastigiatis, radice geniculatis internodiis repente.*

In India & Troglodytica Arabia copiosissimè prouenit: unde radix tantùm eius ad nos aduehitur, quę interdum integræ libræ pondere eruitur. Ea in profundum terræ non amplius agitur, quàm ad ternos, siue quaternos palmos: quam effossuri radicis internodium relinquunt, ceu radicis maioris sequente anno eruendæ semen.

Zinziber validè calefacit in tertio, & humectat in primo gradu: minùs subtilium partium quàm Piper: ideoq; propter additam illam humiditatem vix vltra biennium perdurans.

Singularis certè confortatio ventriculi refrigerati, aliarumq; eius affectionum medela: præsertim verò zinziber conditum, quod recentissimum saccharo vel melle asseruatur.

Puluisculus eius cum aceto vespevi assumptus varias humiditates per sudorem nocte expellit.

ZEDOARIA, *item Zadura, siue Zaduara, est plantæ in Sinarum regione vltra extremas Indiæ oras crescentis radix, Zinziberis faciei similis, minùs tamen acris, sed amariuscula, & odoratior.*

Hanc recentiores primùm Græci ab Arabibus edocti descripserunt, & vsum eius explorarunt.

Calefacit & exiccat in gradu secundo: flatus discutiendi facultatem obtinens.

Ventriculi

Ventriculi & coli cruciatus tollit, vomitiones reprimit, alui pariter fluxiones sistit, eiusdēq; tineas quascunq; enecat.

Animalium insuper venenosorum morsibus auxiliatur: vtpote venenis etiam aliis abigendis: præsertim verò pesti remedium conuenientissimum: odore quoque suo quemlibet ingratum odorem sanat.

GALANGA *est radix plantæ in Memphi, & in Syria potissimùm crescentis: vnde in Italiam copiosè adfertur, foliis latioribus crassioribusq;, & spinæ instar admodum mucronatis, immediatè ex radice assurgentibus.*

Galanga autem alia minor est, alia maior.

Minor est radix tenuis, tota in purpura rufescens, geniculata, & internodiis quibusdam reflexa, sapore plurimùm acri & odorata.

Maior verò longè crassior est, colore dilutior: minùs etiam odorata, & viribus infirmior.

Vtraque calida & sicca est in tertio gradu: ventriculum à frigore vel flatibus affectum, aliasq; partes optimè corroborans, & eius dolores tollens.

Ore retenta anhelitum commendat: naribus admota cerebro multum confert: cordis etiam palpitationi prodest, si è succo plantaginis propinetur.

Galanga syluestris, propriè Cyperus, herba est folia proferens porraceis similia, sed longiora & exiliora: in caulis etiam quadrangularis cacumine minuta folia cum semine obtinens, radice odorata, vel longa, vel rotunda.

Radix Cyperi, cuius potior quàm herbæ in medicina vsus est, calefacit, & exiccat in gradu secundo cnm quadam adstrictione non mordicante: itaque vlceribus curandis mirificè prodest.

Optima autem illa iudicatur, si sit omninò grauis, iucundi cum quadam acrimonia odoris.

Hæc cordis & ventriculi actiones atq; virtutes multum iuuat,

iuuat, & spiritus lætiores procreat, melancholicis præcipuè salubris.

Cyperi genus est Curcuma, radix in India prouenięns, effigie & odore Zinziberis, gustu amaro: quæ si manducetur, croci modo inficit.

CALAMVS *aromaticus est herba in India vtplurimùm crescens, caule fistuloso, foliis gramineis, siue arundineis, radice densè geniculata, fulua & assulosa, odore præstantiore, è longinquo etiam perceptibili.*

Calamus aromaticus calidus est, & siccus in secundo gradu: minùs tamen subtilioris essentiæ: leuiculam quandam adstrictionem possidens.

Epatis affectionibus, præsertim hydropicorum & ciendæ vrinæ vtilis est: ventriculum mirè confortat, maximè si cum succo absinthij ex vino tepidè exhibeatur.

ACORVS *est planta foliis assurgens Iridis angustioribus, radice geniculis distincta & reflexa, subalbicante, & acri, odoreq; multum recreans.*

Acorus calidus & siccus est in secundo gradu, essentiæ tenuioris.

Decoctio Acori, laterũ dolorib. & thoraci; itẽ epati, torminib. ventris, & spasmo summè prodest, & planè diuretica est.

Succus radicis etiam antidotis non inutiliter miscetur: idemq; oculis illitus visum clarificat.

Herbæ medicamentosæ saporem ab aromatico dissimilem obtinentes sunt reliquæ vniuersæ, quarum virtutes in medicina maximè elucent: ideoq; à Medicis copiosissimè describuntur.

223 *Vbi natura distinctum sexum obseruauit quoniam aliæ earum sexui quoque animãtium masculo, aliæ fœmineo magis auxiliaturæ essent.*

Prudentissimè enim illa rerum creatrix hanc sexus distinctionem in plantarum genere nobis proposuit.


201 *Medicamen-*

221 *Medicamentosæ*]Morborum doctrina physices posterior est, ergo obscurior, neque ideo physica definitio inde petenda. Et definitio ex comparatione, vix popularis descriptionis lumen habet, multò minùs accuratam, & dilucidam rei euidentiam.

222 *Hoc nominis*]Non quia viribus roborandis inseruiunt, aromatum nomen contraxerunt (nam pane, & vino, nihil magis roborat) sed quia præter odoris fragrãtiam, & saporis acrimoniam, in tenuem puluerem contrita, & tanquam rarefacta, odoris suauitate, magis magisq; nares gustumque afficiant. reliqua huius capitis medicorum possessiones sunt.

223 *Naturam*] Nullam eiusmodi sexus distinctionem in vegetabilibus natura agnoscit : neque quia fortè aliæ maribus, aliæ feminæ magis conueniunt, ideo sexus distinctos habent. Pæonia, alia mas, alia fœmina dicitur. Quod in veronicis, mercurialibus, polygonatis, & aliis nonnullis binis distinctionis gratia (cum tamen in alterutro sexu curando nullus eiusmodi delectus habetur) non quòd diuersos sexus ostendant, sermonis vsu inualuit. Nam (animantibus exceptis) haud dubiè (Scriboni) ceteræ naturæ, generationis instrumentis à natura negatis vel intra se continentibus, perpetuum cœlibatum colunt : metaphorico tamen sermone, in his quasi connubium stirpes inirent, à physicis ita luditur.


IN



IN G. SCRIBONII PHYSICAE LIBRVM III.

Animaduersiones Timothei Brighti Cantabrigiensis.

De Animantibvs.



NIMANTIA *sunt naturæ viuẽtes, anima sentiente præditæ.*

224 *Est autem anima siue facultas sentiens, potentia apprehendens & percipiens extra corpus animãtium posita vniuersa.*

225 *Hæc facultas exercetur tum sensibus tum sensuum potentiam comitante impulsione.*

Sensus sunt vel exteriores, vel interiores.

226 *Sensus exteriores sunt, qui tantùm præsentia percipiunt.*

227 *Et quidem singuli proprium habent subiectum, item instrumentum, & plerique medium.*

228 *Et horum omnium si mutua quædam sit cõsensio & iusta proportio, sensus ipsi sunt validiores.*

229 *Singuli enim obiecto nimis excellenti, instrumento vitiato, medio crassiore hebetantur & corrumpuntur.*

Itaque per multam niuem iter diutius faciẽtes oculis læduntur.

Ita plerunque fabri ferrarij fiunt surdastri.

Sensus proinde externi, vel totius corporis communes sunt,

sunt, vel certarum partium proprij.

230 *Sensus in toto corpore est tactus.*

231 *Tactus est sensus mediante carne neruosa tactiles qualitates apprehendens.*

Instrumentum eius est, caro neruosa, vel omnis neruus per totum corpus capillatim dispersus.

232 *In homine igitur propter copiam neruorum hic sensus est acutissimus.*

233 *Medium eius est caro vel cutis.*

Quamuis etiam neruus sępe adempta cute læsionem quãlibet ferè sentire potest.

Sensus certarum partium vel sunt nobiliores, vel ignobiliores.

Nobiliores sunt visus & auditus, quorum commune medium est, aer vel aqua.

234 *Visus est sensus res lucidas & coloratas oculis percipiens.*

Sub lucidis intelliguntur corpora cùm luminosa, quæ in tenebris lucent, tum perspicua & transparentia.

Subiectum igitur visionis est tum lux, tum color.

Color quò temperatior, vtpote viridis, eò oculis gratior.

235 *Organon autem eius est neruus opticus, in vtrumq; oculum immissus.*

Auditus est sensus sonos percipiens.

236 *Organon proprium est pellicula in imo aurium anfractu porosa & sicca, quæ Tympanum auris dicitur.*

Pellicula illa duplex est: alia inferior, quæ tegit ossiculum incudi simile: alia superior, quæ ossiculum malleoli continet.

Superior igitur à sonis impulsa inferiorem feriẽs spiritus in neruis hac percussione excitat, vt sonum pulsa incude percipiant.

Haud aliter ac si chordæ pulsatæ sonum reddunt, quæ soni perceptione fit auditus.

Sensus

Sensus certarum partium ignobiliores sunt gustus & olfactus.

Gustus est sensus sapores apprehendens.

Subiectum igitur eius est sapor.

237 *Organon autem neruus instar retis super carnem linguæ porosam extentus.*

Medium est humor saliuosus temperatus.

Hic igitur si excedat, lingua sapores malè diiudicat: sin planè sit absumptus, & lingua sit aridior, nulli sapores percipiuntur.

Olfactus est sensus odorabiles qualitates cognoscens.

238 *Organon eius est meatus anterioris ventriculi cerebri, membrana contectus: dicitur Processus mamillaris.*

Et hoc quò siccius fuerit, eò acrius animantia odorari possunt, vt sunt Canes & Vultures.

Homo autem propter humidiorem cerebri constitutionem odoratum hebetissimum sortitus est.

224 *Potentia*] Anima non est potentia, vt nec facultas: vtpote à qua potentiæ, & facultates nascuntur. Omnis enim potentia in aliquo, tãquam in subiecto, consistit, & in accidentium ordinem est cogenda: anima autem substantia omnium nobilissima est, & accidentium plurimorum fulcrum. *Vniuersa*] Non vniuersa percipit: cum quædam sint sublimè posita, quæ omnem humanã aciem fugiant: habet quàm plurima percipiendi vim certo loco, & mensura posita: omnia tamen nullius capit nec animus nec mens, multo minùs sensus cum brutis communes, & tantùm præsentibus moti. Quis enim vnquam oculis ita Lynceus fuit, vt minutissimas cœli stellas quales sint dimensionibus visu assequutum se auderet dicere? Vel etiam omnium, qua est magnitudine, maximũ Solem? Quod ais tactum quæ extra corpus sunt

ſunt percipere:videris quo referas dolores & voluptates quę intra corpus ſentiuntur.Et phantaſiæ idola, quæ abſentibus rebus ipſis crebro per inſomnia repreſentantur, & etiam vigilantibus occurrunt, tacite apud nos cogitantibus.

225 *Exercetur*] Nihil ad phyſicum attinet, quid quo exerceatur docere. Nam vt facultas vna princeps ſit, multa tamen & prima,& poſtrema,ad hanc exercendam requiruntur, & extra rei naturam interdum poſita. Vt ad ſenſus explicandos obiectum, medium, ſitus, inſtrumentum, &c. neque facultatis ſunt hæc, vel propriè tales, vel cauſæ: & propterea aliena. Dixeras præcedente axiomate, facultatem ſentientem, potentiam eſſe extra corpus poſita apprehendentem, hic autem facultatem hanc exerceri ſenſibus. Atq; oro te (Scriboni) annon ſunt ſenſus ipſi ſentiendi facultates? Doce quid intereſt: actiones nullæ ſunt: ergo facultates. *Senſibus*] Quæ ſenſu prædita ſunt(eſto) loco ferantur ſingula: quid tum poſtea?Ergone vt ſenſus exerceant?Quos quæſo ſenſus? Non omnes: nam interni nihil eiuſmodi lationem poſtulant, cùm non foris, ſed ſenſu communi phantaſiæ offerantur. Neque externorum vnuſquiſque loco ferri poſtulat, ſed qui multo ſpatio ab obiectis propriis diſtantes,vicinitatem poſtulant: vt qualia ſint obiecta ſentiant: quædam cùm occurrunt,etiam perſtringunt, & obtundunt, vt nil loci mutatione ſit opus. *Impulſione*]Impulſio nil exercet ſenſum in omnibus, quũ multa ſenſibus patimur quæ longè abeſſe expetimus. Niſi forte putes vel dolores nos expetere, vel reos quæſtiones, ac neruos.

226 *Exteriores*]Nõ eſt iſtud καθόλȣ πρῶτον exterius. Nam

Nam & ſenſus communis & phantaſia, circa pręſentia tantùm laborant, nec præterita memorant, nec proſpiciunt futura.

227 *Inſtrumentum*] Ita & interni proprium ſubiectum poſtulant, & inſtrumento exercentur.

228 *Validiores*] Non ſenſus eo validiores ſunt, ſed ſenſuum actiones.

229 *Hebetantur*] Tenenda ſunt hæc de actionibus tantùm non de facultatibus. Senſus autem ſunt facultates: quæ facultates, nec inſtrumenta, nec medium deſiderant.

230 *Tactus*] Hic anomala habes (Scriboni) cartilagines, oſſa, & dentium extremitates. Quæ ex corporis in partibus ſenſu priuantur.

231 *Carne*] At meninges, maximè Pia, & cerebro proxima, vt & Perioſtia, & nerui corpus ipſum, carne deſtituuntur, ſed vel nerui ſunt ipſa, vel membranæ, nec admittentia carnem, niſi neruum ipſum, vel membranas, pro carnibus habeas: quod ſi teneas, inter medium, & inſtrumentum, diſcrimen adhibendum.

232 *Copiam*] Non copia neruorum, ſed mollities ad acutum tactum confert, nam ſi vim reſpicias, à facultate oritur: ſi paſſionem, mollities ſuccumbens altiùs dolorem infigit, & voluptatem admittit.

233 *Medium*] Atqui paulò ante dixeras carnem neruoſam medium eſſe. Non autem omnis caro neruoſa eſt, & oſſibus omninò carne vacuis inconſideratè tactum omnium corporis partium feciſti communem. Maximè verò vel ipſo neruo (nulla carne obſtante) violato, cum dolor affligat, non omnes ſenſus medium poſtulare, liquet.

234 *Lucidas*]Si lucidum,& coloratum, ſimul viſus obiecto cõuenire arbitreris: nihil omninò quod nec tranſparẽs,nec in tenebris fulgens,viſu percipietur: ſin verò omne quod lucidum eſt, oculorũ ſenſu percipi velis: opponimus aerem, quem nemo vnquam mortalium viſu comprehenderit.

235 *Organon*]Mallem oculum,quàm neruum opticum: oculo namque læſo, quantumuis neruus ſit integerrimus, viſus vel læditur, vel omnino totus adimitur. Et potiùs aditum organo facultate præbet neruus, quàm inſtrumenti locum obtinet, niſi neruum & oculum (cuius criſtallinus humor pars prima eſt) viſus inſtrumentum integrum conflare putemus.

236 *Organon*] Pari ratione in viſus ſenſu oculum organon, non neruum ſtatuiſſes. Et ſane auditus auris inſtrumentum eſt, integra, & neruo inſtructa, non pellicula, non malleus, nec incus, nec ſtapis.

237 *Neruus*] Lingua & palatum, non neruus: neruum tamen præcipuam huius inſtrumenti partem admittimus: niſi potiùs facultatem tantùm deferat.

238 *Meatus*] Eiuſmodi in anteriori cerebro nulli ſunt, proceſſus ſunt mamillares dicti, in os cribriforme delati: neque tamen meatu aliquo hiantes, aut peruij.

Hæc de Senſibus exterioribus: ſequuntur interiores.

239 *SEnſus interiores ſunt, qui præter res coram oblatas, etiam abſentes rerum ſpecies diuerſas cognoſcunt.*

Et

Et hiſce ducibus animal oblatas ſpecies non tantùm nudè ſentit & percipit, ſed etiam ſe percipere animaduertit.

Sedem autem ſuam omnes in cerebro obtinent.

Senſus interior vel eſt concipiens, vel conſeruans.

Concipiens officio ſuo fungitur, tum diſcernendo, tum plenius æſtimando: ille ſenſus dicitur Communis, hic verò phantaſia.

Senſus Communis eſt, qui ſenſibilia ab exterioribus oblata plenius diſtinguit.

240 *Huius organon eſt anterior cerebri ventriculus, ob humiditatem ad recipiendum aptior.*

Phantaſia eſt ſenſus interior, rerum imagines diligentius examinans & expendens.

Hæc igitur eſt animantium cogitatio, iudicium & æſtimatio.

241 *Locus eſt in media cerebri parte propter ſiccitatē ad conſeruandum magis idoneus.*

Senſus conſeruans, qui res cognitas diutius retinet, eſt memoria.

Memoria eſt ſenſus interior, rerum comprehēſarum imagines cuſtodiens.

Memoria pro cerebri conſtitutione vel eſt acrior, vel hebetior.

Debilior aut hebetior eſt iis, quibus humidius eſt cerebrū, firmior eſt in ſicciore cerebro.

242 *Inſtrumētum autem eius eſt poſterior cerebri ventriculus.*

Memoria ſi ex præterito tempore conſeruatas imagines reuocet, & repetat, dicitur recordatio.

Sed cùm illa abſque adhibita rationis inductione, quæ exciderunt, recolere non poſſit, ſoli ferè homini tribuitur.

Ideoq; etiam qui ingenio ſtupidi & tardi ſunt, memoria, qui ingenioſi & dociles, recordatione magis valent.

239 *Absentes*] Non absentes species, sed absentium rerum species: hinc interdum absentium idola feriunt phantasiam, ex quibus rerum memoria colitur. Præsens tamen omne id foret necesse, quod sensum feriret, & facultatem lacesseret.

240 *Anterior*] Non vnus, sed bini sunt anteriores, siue potiùs superiores cerebri ventriculis, & ita facultates diuersis cerebri partibus designare, vt hæc sensus communis, illa memoriæ, altera phantasiæ: est ingenio & otio abutentis. Ad curam enim hisce facultatibus delirantium conuocati medici, non huic vel illi parti magis applicant remedia, sed toti cerebro: magno ægrotantium fructu: neque partes hæ aut conformationé aut crasin, his facultatibus magis quàm aliæ conuenientem obtinent.

241 *Media*] Quænam pars illa foret? Ventriculus, an cerebri substantia? Si ventriculus, quid siccitas iuuaret? Nisi fortè eo firmiorem idolorum capsulam arbitreris. Si substantia, cur non durities æquè idolorum impressionem impediret, atque impressa diutius retineret? Sed non est tanta (ais) neque (inquam) tanta durities, quin animi idola præterfluant impressa. Quid ergo? Sane toto cerebro sensus interni omnes exercentur, nec cerebri regionibus distinguuntur.

242 *Posterior*] Si postremum intelligis, quid fiet tertio ventriculo? Cuius vsus æquè atque reliquorum ad sensus internos est pernecessarius. Videlicet quia nihil ad excipienda rerum idola cauitatem interesse putas, sed potiùs instar argillæ impressam imaginem retinere ac referre, huius callosam substantiam existimas. Nihil in physica tradi debet nec in aliis disciplinis, quod non primũ Logicum ignem

expertum

expertum purum & ſincerum, animam imbuat ſciẽtia. Memoriam autem coniectura tantùm non certa aliqua rei demonſtratio poſtremò cerebri ventriculo mandauit, cum nec conformationem nec temperiem reliqua cerebri parte aptiorem memoriæ obtineat.

243 Hæc de Senſibus : ſequitur Senſuum affectio, Somnus.

SOMNVS *eſt ſentientis facultatis requiès.*

244 *Cauſa huius eſt vel refrigeratio cerebri, vel vapor copioſus ſuauiſq́; è ventriculo exhalans, & cerebrum obtundens.*

Vapor ille ſi concoctus reſoluitur, & in ſpiritus conuertitur, redeunte calore, ſenſus ſuo munere rurſum funguntur, & animal euigilat.

Ordinata autem & certa ſunt ſomni vigiliarumq́; interualla, ne animal aſſiduo motu langueſceret.

245 *Somni porrò affectiones ſunt : Inſomnium, Ephialtes, Ecſtaſis, & aliæ eiuſmodi.*

INSOMNIVM *eſt actus animi interior, corpore à ſomno interim occupato.*

Quò igitur ſomnus fuerit tranquillior, eò facilius inſomnia excitantur.

Quòd ſi altior vel inquietior ſit, tum etiam animus impeditur.

Varietas autem ſomniorum fit, pro varia corporis conſtitutione.

Clariora & iucundiora fiunt ſomnia, ſi ſpiritus cerebri, quibus anima vtitur ad imagines excitãdas, fuerint tenuiores purioreſq́; : quales ſunt plerunque circa tempus matutinum, facta concoctione : vnde illius etiam temporis ſomnia ſunt meliora.

Obscuriora verò & minùs iucunda insomnia cõtingunt, si spiritus sint crassiores & impuriores.

Omnia proinde somnia naturalia fiunt à speciebus vel antè memoria reseruatis, vel iamdum conceptis: & quidem ratione temperamenti, aut solius, aut præter hoc etiam singularis syderum influentiæ.

Quamobrem ex insomniis quoq; plurima de corporis constitutione colligere, & præsagire licet.

EPHIALTES *est corporis ob motum tardissimum, quasi ab insiliente aliquo compressi & præfocati sensatio. Quo sensu etiam incubus dicitur, ab incubando, quòd pondus quoddam eiusmodi dormientibus incubare videatur.*

Hanc compressionẽ sequitur torpor, & veluti irruẽtis alicuius occupatio: item tam vociferationis, quàm vocis etiam irritus conatus, & inarticulatus demum confusúsq; sermo.

Oritur autem hæc affectio, quando spiritus animales existentes in cerebro, ob vapores ascendentes à pituita & melancholia obtenebrantur, vt virtute sic oppressa graue aliquid videatur inferri.

Quare etiam sagis ac vetulis maximè omnium cõmunis est: quæ ob sexum & ætatem admodum pituitosæ, & ob animi affectus melancholicæ existentes, sensu communi ab impurioris spiritus assidua suggestione vitiato, se pati quidpiam existimant.

246 *Præterea etiam iuniores ob similes animi affectus & curas inanes, atque cogitationes idem temperamentum sortiti, eundem morbum familiarem habent.*

Vnde frequens est illa imaginatio de insultu & compressione amicorum.

247 ECSTASIS *est animæ, quasi à corpore secedentis acrior & vehementior imaginatio.*

Hanc sequitur somnus profundissimus etiam continuos aliquot dies perdurans.

Animæ

Anima enim cogitationibus vacatura cessat ab administratione corporis : vnde corpore sensu motúque veluti carente homines ita affecti omninò exanimati videntur.

Qualibus autem humoribus cerebrum fuerit obsitum, tales quoque phantasias concipit, imagineśq; efformat : & inprimis quidem ob melancholiæ redundantiam.

Sic enim pro illius specierũ diuersitate alij alia imaginantur, & à somno exuscitati commemorant.

Quamuis interim sæpe malus aliquis genius in eiusmodi phantasijs accedens etiam futurarum interdum & prorsus incognitarum rerum imagines exhibeat, & efficiat.

243 *Somnus*]Si somnũ omnium sensuum, tam internorum, quam externorum affectionem statuis communem: ante sensuum deductas species docendus fuisset, cum alterutra specierum cõmunior sit, & pluribus, videlicet alteri speciei, insit. Sed somnum etiam ex internis phantasia nil postulat : libere etiam vel in somno, simulachris formandis strenuè occupata : atque profecto mea sententia (Scriboni) rectiùs vigilias sensuum affectionem statuisses, quàm horum vinculum, cippos, carcerem, somnum. Affectio omnis adiunctum proprium est, & cognationem secundum essentiam maximam cùm re quam afficit habet : non repugnat, nec expugnat : quemadmodum facit somnus. Ergo vi huc irrupit in sensuum familiam somnus, nec asciri licet per sensuum ipsorum naturam. Reficiuntur certè spiritus quiete ac somno : à quo vegetiores in organa irrumpentes, validius obiecta apprehendunt : sed quid tum? Ergone affectionum cognatione donabitur somnus? Non opinor. Multa namque sunt, quibus facultates & instrumenta re-

 creantur,

creantur, nec tamen affectionum naturam obtinent, & cum tantundem motioni voluntariæ præstat viribus reparandis, & corpori conciliando robur per legem ſapientiæ æquè ad motum, ac ad ſenſum, ſomnum affectionem retuliſſes.

244 *Refrigeratio*] Annon eſt inde ortus potiùs ſymptomaticus ſopor: vt ex omnibus cerebrū nimis opplentibus & vaporibus irrigantibus? Somnus enim nihil aliud videtur quàm ſenſus motuſque naturalis atque ſpontanea ceſſatio: huius autem, defatigatio cauſa eſt, non è ventriculo halitus: cum etiam peruigilibus ieiunis, ſomnus obrepat, interdum ſatis profundus, niſi interturbent de obſoniis inſomnia.

245 *Ephialtes, & Ecſtaſis*] Valetudinarij corporis ſymptomata ſunt, non ſomni affectiones: & propterea medicis committenda. Et cùm Ephialtes præcipuè negotium motui faceſſat, cur non potiùs ad motus affectionem aliquam, quàm ad ſenſus retuliſti?

246 *Morbum*] Rectè morbum dicis, vel potiùs morbi ſymptoma, & ſi cuncta circa actiones morborum ſymptomata, facultatum affectiones ſtatueris, næ tu facultatum affectiones infinitis partibus auxeris.

247 *Ecſtaſis*]Etiam vigilantibus accidit, vt illa Petri ad ſextam diei horam: non ergo ſomni affectio eſt aliqua, ſed vel ex morbo ſymptomaticum quid, vel diuinitus immiſſa. Sed vt dormientibus tantùm naturali modò accidat, ideone ſomni affectio cenſebitur? Multa vigilantibus accidunt, quæ vigiliæ proprietates nullæ ſunt: ita & dormientibus contingunt quibus tamen & ſomno nulla affectionum interceſſerit affinitas.

Tantum

Tantum de Facultate ſentiente: ſequitur de impulſione illam comitante.

248 IMPVLSIO, *quæ ſenſus comitatur, fit vel appetitu, vel loci mutatione.*

Sæpe enim ſenſibus percepta concupiſcentes adipiſci non poßumus, niſi corpore commoto ad illud ipſum nos conuertamus.

249 *Appetitus, ſiue appetens facultas, eſt virtus obiecta ſenſibus deprehenſa proſequens.*

250 *Sequitur autem potiſſimùm vel contactum, vel cogitationem.*

251 *Tactum ſequitur delectatio.*

Ideoq; in neruis potiſſimùm hic appetitus locum habet.

Delectatio eſt appetitus obiecti conuenientis: vt cùm res propriæ ex voto ſuccedunt.

Delectationi contrarius eſt dolor: obiecti videlicet ingrati, & lædentis auerſatio.

252 *Appetitus cogitationem ſequentes ſunt cordis motiones vniuerſæ: vulgò Affectus dicuntur.*

253 *Affectus autem eiuſmodi vel boni ſunt, vel vitioſi.*

254 *Affectus boni ſunt, qui naturam ſentientis animantis fouent & conſeruant: vtpotè lætitia, amor, ſpes, eorumq; ſimiles.*

Et hi à caliditate potiſſimum originem trahunt, quatenus cor ab ea dilatatum, & quaſi apertum res conuenientes & gratas ad ſe pertrahere conatur.

255 *Lætitia proinde eſt motus cordis, quo bonum quidpiam præſens appetit.*

256 *Motus, ſiue loci mutatio, eſt facultas animantis corpus ab appetitu illectum de loco in locum agitans, & perducens.*

Eſtq;

Estq; vel totius corporis, vel certarum partium.

Totius corporis, est progressio eius, & quælibet commotio.

257 *Certarum partium motus est respiratio.*

258 *Respiratio est motus partium, quo ad percipiendum aerem commouentur.*

259 *Respiratio fit vel per diastolen, vel systolen.*

Diastole est partium ampliatio & dilatatio: quæ inspirando aeri inseruit.

Systole autem est partium contractio & coarctatio, quæ fuliginoso vitiosoq; aeri expellendo simul inseruit.

248 *Sensus*] Non omnes sensus, nec plurimos: sed internos tantùm, & ex his phantasiam solùm. *Appetitu*] Non omnis appetitio sensum sequitur: nec semper, sed præcedit interdum. vt in nuper in lucem editis apparet animalculis tenellis, quæ ad matris vbera nunquam ante gustata, Natura duce feruntur. neque omni sensu (nam hic de actione sermonem habes, non de facultate) sed delectabili appetitio ducitur.

249 *Appetitus*] Non omnia, sed grata, & amica: sunt enim quæ percepta refugimus, vt dolor & malum omne, denique tot omnino numero sint quæ fugimus & auersamur, quot appetentes persequimur.

250 *Potissimum*] Gustum primum, potius quàm tactum, vel aliorum sensuum aliquem, secundum autem hunc tactum, & deinceps variè reliquos. Gustu namq; vtitur Natura ad nutritionem: & cibi & potionis illecebra maior est quàm libidinis.

251 *Delectatio*] Neque delectatio tactum tantùm, sed & reliqua omnia obiecta grata sequitur, vt & ingrata, molestia.

252 *Mo-*

252 *Motiones*] Non vniuersæ motiones sequuntur appetitus, sed amabiles tantùm, non odiosæ vllæ, vt tristitia, metus, anxietas &c.

253 *Boni*] Bonum & malum ethicam disciplinam resipit, non Physicam, & quæ de moribus præcipiuntur, Censorum sunt, & morum magistrum. Ethica autem præcepta Physicam sequuntur: perperam igitur, nec satis methodice, nec ex Iustitiæ lege, de moribus hoc loco præcipitur, neque omnino quicquid secundum Naturam rebus obtingens, non bonum, sed optimum.

254 *Boni*] Itane vero bonas definis? annon potius virtutibus consentientes bonas diceres? hæ affectionum moderatrices sunt, & regulæ, ad quas affectio bona, vel mala, dicitur.

255 *Cordis*] Quædam lætantur, quibus à natura cor negatum est: cùm primum abs te omnium animantium affectio communis statuatur, & nonnulli præ gaudio mortui reperti sunt, vt idem secundum tuam bonitatis definitionem pari ratione cum metu & tristitia ad affectiones ingratas referri queat. Neque certe ex affectionibus per se malum obtingit animali, cum ad huius tutelam à Natura donantur; sed ex violato modo, & ex ipsis contra rationem efferatis. nam & metuentes consulimus nobis, & ira concitati vindictam exercemus, & hostem pesequimur, & fortitudini tanquam aculeus additur. *Præsens*] Non tantùm præsenti bono, sed etiam futuri spe lætitia efferimur, & potius ex boni præsentis vsu, quàm ex ipsius appetitione lætamur: quibus namque fruimur non appetimus, sed quorum absentium nos compotes fore speramus, *Appetit*] Addidisses prædictis affectioni-

affectionibus, reliquas malas dictas, cum pariter Natura insint, & sedem in corde, vel cordi analogo obtineant.

256 *Illectum*] Non tantùm illectum, sed & deterritum metu tergum dare cogitur: & fere celerius quod veremur fugimus: quàm quod iuuat, atque delectat, persequimur.

257 *Respiratio*] Respiratio non est localis ille motus, quo ferimur ad id quod expetimus. Nã vel loco consistentes respiramus: sin vero de parte interpreteris, respirando partes potius aerem refugiunt quàm pesequuntur, ex qua fuga vt vacuum vitet natura, aër necessitate quadam (ut in folle videre est) subsequitur; contrà verò contractis pulmonibus, & thorace, aerem elidimus. Porro motus ille appetitioni inseruiens, mere existit voluntarius. Respiratio autem vel thoracis ac pulmonum, haud omnino talis est, sed quodammodo mista. quæ verò arteriis inest, reliquo corpori refrigerando destinata naturalis omnino est, nec cuiusquã volũtati subiecta. parum ergo motum appetitioni obsequentẽ illustrant.

258 *Percipiendum*] Partem tantum respirationis assequeris definitione (Scriboni) tota autem ex Diastole, & systole constat; quarum altera aerem allicit frigidum, altera calfactum iam, vna cum excremento fuliginoso elidit: non igitur vt aerem tantum percipiat, respirat animal, sed vt corpus calore æstuans aura temperetur, id autem coniuncta diastolæ, & systolæ opera obsoluitur.

259 *Systolen*] Respiratio tota non fit systole, sed pars tantum. propriè verò thoracis, atque arteriarum dilatatione respiratio continetur, potius quàm (qua anima agitur) expiratione.

Tantum

260 Tantum de communibus animantium Facultatibus: ſequitur de ipſorum corpore.

261 CORPORIS *animantium, cui prædictæ facultates inſunt materia eſt ſemen vtriuſque ſexus.*

262 *Semen eſt ſanguis puriſſimus in teſtibus perfectè excoctus.*

Et hoc à toto corpore deciditur.

Teſtes enim alimonia deſtituti ſanguinem è vena caua attrahunt, eumq; in ſemen immutant.

Albicans verò illud fit ob ſubſtantiam teſtium albicantem.

263 *Ex ſemine eiuſmodi in vtero fœminæ commixto & concepto animantia procreantur.*

264 *Conceptio autem illa eſt actio vteri, qua ſeminis poteſtas exuſcitatur ad inſitum munus exequendum.*

Suſcitata deinde vis, materiam ſeminis variè diſtrahit, partes eius diuerſas ſecernens.

Et ſic partes æquè omnes conformationis ſuæ adumbrationem & rudimentum ſimul nanciſcuntur.

Vniuerſæ etiam vegetantis pariter & ſentientis animæ virtutibus exornantur.

265 *Inter naturales autem facultates partium corporis; concoctricis virtutis vitium putredo ſi oritur, fit ſuppuratio quædam, ſiue ſaniei generatio.*

De Suppuratione partium Animantis.

266 SVPPVRATIO *alia naturalis eſt, alia præternaturalis.*

Naturalis eſt, quæ fit ingenito calore, nondum prorſus euicto, ſed vires ſuas ob materiæ diſpoſitionem remiſſius exercente.

267 *Talis*

267 *Talis oritur in inflammationibus & abſceſſibus.*
In his enim natura materiam ſubiectam quoad poteſt ad optimam formam perducere conatur.
Itaque etiam ſuppuratio eiuſmodi robur quoddam naturæ arguere ſolet.
Quamobrem ſæpe conuenientibus auxiliis ſtudioſè tentatur & promouetur.
Et in hoc genere laudatur præcipuè pus album, craſſum, leue, & æquale, minimeq́; fœtidum.
Præternaturalis verò ſuppuratio eſt, quando natura prorſus euicta, humores, vel ipſæ etiam partes ob ſummam putredinem ſanioſæ redduntur.
Vincitur autem natura, ſiue facultas concoquendi, vel ob propriam debilitatem, vel ob materiam eximiè vitioſam.
Hæc obſeruatur in omnibus putridis & malignis fœtidiſq́; abſceſſibus atque vlceribus.
In quibus etiam pro varia ſuppurantis materiæ conformatione, ſæpenumerò variæ corporum ſolidorum ſpecies reperiuntur: vtpotè pili, carbones, animalcula, & id genus alia.

260 *Communibus*] Quas ſuperioribus capitibus tradidiſti, non ſunt communes omnium animantium nec affectiones, nec facultates. neque enim piſces reſpirant, nec ephialte, nec ecſtaſi tenentur, nec apiculæ nec vermiculæ inſomniis terreri credibile eſt. *Corpore*] Poſt affectiones, expectamus ſpecies ipſas, non corpora. corpus enim pars eſt, & membrum: membra autem affectionibus omnibus priora ſunt, & ſpeciebus quibus ſingulis inſunt, & non hæc illis: neque quas memorabas affectiones, corporum animalium; ſed eorum ipſorum ſunt communes.

261 Se-

261 *Semen*]Non in omnibus, nec ſemper ſemen. quædam enim ex putredine nata, præter aliorum excrementa, vel terræ fæcem parentes non agnoſcunt. ſemen autem non corporis, ſed naturæ totius materia eſt.

262 *Sanguis*] Semen in animantibus perfectis, ex ſanguine materiam habet,in inſectis & ſanguine deſtitutis aliud quid: nec cuncta animantium perfecta teſtes elaborando ſemini obtinent, vt nullum piſcium genus.

263 *Vteri*] De viuiparis eſt iſtud tenendum tantùm, aliis conceptio negatur ſeminis maſculi, vt & fætus excluſio.

264 *Conceptio*]Conceptionis doctrinam(mea ſententia)rectius,& magis perſpicue,ad generationem ſpeciei conſeruatricem retuliſſes. nam quod ex ſemine oriundum vnumquodq;, ſiue ex ſtirpium, ſiue animantium genere concipitur primò, ac tandem fotum, noua ſoboles excluditur.

265 *Suppuratio*] Quanam huc methodo ſuppuratio irrepſerit, difficile eſt iudicare. commodiore arte, in coctionis vitio, ſuppuratio qualis putredo ſit, initio libri ſecundi docuiſſes. neque hic vt Phyſicum attentum decet, ad certi humoris corruptionem, & certæ concoctionis uitium retuliſti: non enim aut bilis, aut melancholiæ, aut pituitæ ſuppuratio eſt: ſed ſanguinis tantùm. Neque id coctionis vitio: vaſis namque ſuis, atque propriis contentus, nunquam ſuppurabitur; ſed eis vel ruptis, vel exeſis, vel præter modum tenuibus, ſanguine aut effuſo, aut percolato, ex calore alieno, non coctionis vitio aliquo, (eſt enim puris certum genus album, lene, & æquale coctionis

coctionis bonæ argumentum) sanguis in pus mutatur, vasis autem propriis contentus, nunquam supputabitur: quantumuis coctione vehementer laborante.

266 *Naturalis*] Nulla supputatio naturalis est, quandoquidem à morbo oriatur omnis, alia tamen magis alia fit, saluis ægroti naturæque rebus.

167 *Imflammationibus*] Non in omnibus inflammationibus, & abscessibus; sed in mitioribus tantùm. Et cum morbi doctrina (si qua saltem omnino sit) posterior physica existat: per obscurius eius exemplo axioma illustras.

De partibus corporis: & primùm de Humoribus.

268 *PArtes proinde ad corporis adintegrationem requisitæ, aliæ sunt contentæ, aliæ continentes.*

Contentæ sunt, quæ ob suam fluiditatem aliarum adminiculo sustentantur.

269 *Nempe tum humores, tum spiritus.*

270 HVMORES *sunt partes liquidæ ex prima alimentorum in epate transmutatorum commixtione genitæ.*

271 *Et hi quòd semini animantium etiam insint, sanguine præditorum elementa nuncupantur.*

Singuli illi, si à propria natura desciscentes corporibus minus sint idonei, præternaturales fiunt.

Humor porrò alius est primarius, alius secundarius.

272 *Primarius, vel calidus, vel frigidus.*

Vterque rursum vel humidus, vel siccus.

273 *Calidus & humidus est sanguis.*

SANGVIS *est humor tenuis, rubicundus & dulcis.*

274 *Et hoc humore potissimùm partes aliæ nutriuntur, ipseq́; etiam ventriculus,*

275 *Humoris illius noxæ vel in substantia sunt, vel in qualitatibus.*

276 *In substantia est tum putredo, tum aliorum humorum vitiosorum commixtio.*

In qualitatibus, si vel serosior aut crassior euadit, vel aliis qualitatibus afficitur.

Calidus & siccus humor est Cholera, siue flaua aut pallida bilis.

Cholera *est humor tenuior flauus, seu pallidus & amarus.*

277 *Huius est expultricem facultatem, præcipuè intestinorum, promouere.*

Præternaturalis autem bilis pro maiore aut varia adustione in epate, vitellina: in ventriculo; porracea, aut æruginosa: à simili videlicet colore dicta, efficitur.

268 *Contentæ*] Rectius (mea sententia) continentes: contentæ: siquidem continens subiecti rationem obtinet, contentum adiuncti.

269 *Humores*] Humores, vt & spiritus, quia figuram nullam obtinent, nec certum incrementi modum, à nonnullis pro corporis partibus non habentur. humores autem cùm tanquam pabulum partibus præbeant: & nutrimenti rationem habeant, immerito partes appellantur. pars vero partem non alit, vt piscis piscem.

270 *Epate*] Atqui secundarij humores in hepate non generantur: sed in singulis corporis partibus, ex ipso sanguine. sin autem ideo quia ex sanguine fiant, ab hepate oriri vis: ipse sanguis quando non ex sese oriatur sed ex chylo, humorem esse neges necesse est. Chylus uero succus est corpore contentus & summo vsui inseruiens.

271 *Semini*] Nemo credo vnquam ita delirauit

P in

in Phyſicis, vt bilem, pituitam, melancholiam, roré, gluten, ſemini ineſſe putet. fit certe à ſanguine: ſanguine tamen illis primis perpurgato, ros & gluten partium materia ſunt, non ſeminis prolifici.

272 *Primarius*] Chylum hîc omittis (Scriboni) maximè neceſſarium corporis contentum, & æque ac reliqui, partibus numerandum.

273 *Calidus*] Sanguis inter humores temperatus habetur, nullius exceſſus particeps.

274 *Ventriculus*] Veriſimilius eſt partes corporis albas, ex pituitoſiore ſanguinis parte, quàm illo rubicundo generari, quod & harum Natura frigida, & pituitoſa ſatis indicat.

275 *Noxæ*] Creberrime ſoles contrariorum Doctrinam, & nihil ad rei Naturam ſpectantium interſerere. at meminiſſe debes Phyſicam inſtitui, & humorum vitia extra rei corruptionem ſita nihil ad Phyſicam pertinere. Medicorum eſſe propria: & pro morborum cauſis habenda, & cum ſingula vt certam generandi, ita corrumpendi rationem habent (aliter enim ferrum corrumpitur, quàm lignum, aut caro) modò id omnino ad Phyſicam neceſſarium ſit, corruptionis varios modos docuiſſes. Et ſi in cæteris arbitreris minime neceſſarium: cur hîc neceſſarium putas?

276 *Putredo*] Subſtantiæ corruptio tantum eſt putredo. Miſtio partium confuſionem facit, non Naturæ corruptionem aliquam, neque quæ vel in ſubſtantia, vel in qualitatibus ſunt vitia, ſanguinis tantùm ſunt: ſed & reliquorum etiam communia.

277 *Expultricem*] Erras (Scriboni) nam bilis inteſtino-

testinorum clister, excrementum est, non humor, multo minus corporis pars aliqua; neque in hepate genitum, sed in ipsa fellis vesica. Hepar namque sanguinis tantùm officina est. Docueras suprà humores semini inesse: ergone excrementum hoc, vel aliud quoduis semen continere? repugnat Natura. semen fit ex sanguine, sanguinis partes non sunt illa excrementa, sed succi sanguinis massam constituentes. qui tropo tantùm melancholia, pituita, bilis nominantur. Et sane si rem attentè consideras, neque hoc semini inesse perspicies. Semen namque iam desiit esse sanguis: ergo nec sanguinis partes continebit, diuersam naturam obtinens.

Et hæc de Humoribus calidis: sequitur de frigidis.

Frigidus & humidus est pituita.

PITVITA *humor est lentus ac viscidus, albicans, absque sapore.*

Hæc si plenius excoquatur, sanguis plerunq; efficitur.

278 *Vsus autem eius principalis est artus corporis humectare.*

A natura propria deflectens vel acida fit, vel salsa, pro diuersa cum aliis contemperatione.

Humor frigidus & siccus est Melancholia.

MELANCHOLIA *est humor crassus, nigricans, siue liuidus & acidus, seu acerbus.*

279 *Confert præ cæteris partibus confortãdo ventriculo, vt facilius cibos comprehendere & retinere possit.*

A natura autem desciscens priore, pro immodica vstione & Incineratione varias sortitur species.

280 SECVNDARII *humores sunt, qui è primis multiplici concoctione elaboratis gignuntur.*

Eiusmodi sunt tum Ros, tum Gluten, siue Cambium.

Ros est humor in media cauitate partium contentus, earumq; substantiæ instar roris, quo nutriantur, adiunctus.

A quo effectu humor alimentarius dicitur.

Gluten est humor modicè congelatus, partibusq; firmiter agglutinatus in earum substantiam conuerti incipiens.

A qua mutatione Cambium, item Carniformis dicitur.

278 *Principalis*] Immo potius pituitosis & frigidis partibus alimentum suppeditare. cùm sanguinis sit pars liquidior, ac frigidior.

279 *Cæteris*] Hoc de excremento lienis tenendum est; non de sanguinis parte crassiore: & tanquã reliquarum massæ partium, basi: hæc namque nutritionem præstat partibus cognatis.

280 *Primis*] Non à primis, sed à primo videlicet à sanguine: nisi hîc secus atque paulo ante primorum nomine sanguinis massam intelligas. Nam neque ex bile, nec melancholia nec pituita extra sanguinis massam posita, aliquis secundarius humor oriri potest.

Hucusque de Humoribus: sequitur de Spiritibus.

281 SPIRITVS *est pars corporis fluida, tenuissima, è sanguine cordis genita.*

Spiritus ille præcipuum est instrumentum & vehiculum facultatum animantis: eas siquidem in vniuersum corpus rapidissimo & velocissimo impetu deducit.

282 *Spiritus proinde in corde radicem habens vel absolutus est, vel rudis, in aliis partibus perficiendus.*

In

In corde absolutus spiritus est vitalis.

Vitalis spiritus est pars omninò flammea è corde per arterias in corpus diffusa,

Huius igitur communicatione uniuersæ partes uiuunt.

283 *Spiritus in corde inchoatus, sed in aliis perficiendus, est animalis.*

Animalis spiritus est, qui è corde in cerebrum subuectus, ibiq; subtilior factus, per neruos in omnes alias partes diffluit.

284 *Vehiculum autem est functionum, siue facultatum omnium animantium.*

281 *Cordis*] Non tantùm in corde, sed in cerebro, & iecore: in hoc naturalis, in illo animalis: neque ex sanguine tantùm, sed ex ipso inspirato aere, spiritus materiam sumere putantur, ex quo impuro, aut putrido tandem tabescunt.

282 *Absolutus*] Animalis spiritus in cerebro tantum, & absoluitur & inchoatur, eidem vitali spiritu, tanquam materiam sese præbente.

283 *Animalis*] Nullus omnino animalis inchoatur in corde animali facultate prorsus destituto, nisi sensum, eumq; admodũ obtusum, eius parti externæ concedas: sed quid is ad spiritus fabricam? ergo cor vitalem spiritum animali futuro materiam concedat, cæterum vitalibus tantum incumbat.

284 *Animantium*] Omisisti inconsideratè spiritum naturalem: qui & in animantibus cernitur corde destitutis, & perfectorum animantium iecur possidet.

Tantum de Partibus contentis: sequitur de Continentibus.

285 CONTINENTES *sunt partes magis solidæ, quæ per se sustentantur.*

286 *Hæ omnes commune habent tum Fulcrum, tum Tegumentum.*

Fulcrum aliarum partium est tum Os, tum Cartilago.

287 OS *est pars durissima & siccissima vniuersi corporis sustentaculum,*

288 *Ossa inuicem connectuntur ligamentis.*

289 *Ligamenta sunt quasi fila crassiora & duriora, ossium corporis vincula.*

CARTILAGO *est pars ossibus paulò mollior, singulas reliquas partes sustinens.*

TEGVMENTVM *reliquarum partium, & quidem omnium simul est Cutis, singularum verò Membrana.*

290 CVTIS *est pars tenera, exanguis, vniuersum corpus tegens.*

291 MEMBRANA *est pars tenera, singulas alias partes tegens.*

292 *Naturalium insuper facultatum in hisce partibus commune quoque excrementum in coctione relictum, est Sudor.*

De Sudoribus.

293 SVDOR *est humiditas venarum per meatus occultos expulsa.*

Huius pro subiectæ materiæ, siue humiditatis tinctura varius ac diuersus sæpe color conspicitur.

294 *Vsitatus quidem & vulgaris, propter canalium, per quos effluit substantiam albicantem, aquosus & dilutus est.*

Si verò laxiores & ampliores sint meatus, vt absque mora & diuturniore immutatione elabi posint: præsertim si ob animi affectum aliquem vel in morbis tenuiores facti, citò prompteq; expellantur: alio colore tinctus apparet.

295 *Ita in* CHRISTO *ob peccata mortalium tristissimo: item in aliis morbo aliquo correptis sanguinolenti: in ictericis*

ictericis præsertim flaui, in aliis alij sudorum colores visi fuerunt.

Vnde etiam è sudorum colore, sicuti quoque ex adiunctis qualitatibus primis, corporum constitutionem arguere & cognoscere possumus.

Quaratione melior censetur sudor calidior, quàm frigidior: vterque autem sigillatim, si sit æqualis.

296 *Continentes proinde partes ita prædictis particulis fulcitæ & contectæ: aliæ sunt animales, aliæ vitales.*

Et hæ singulæ vel principes, vel minus principes.

297 *Animales partes sunt, in quibus facultates potissimum animales exercentur.*

298 *Et quidem vel sensus & motus simul, vel motus solus.*

Sensus ac motionis membrum præcipuum est Cerebrum in capite contentum.

Huius igitur substantia si lædatur, sensus motionisq; periculum oritur: adeò vt de vita sæpe animal periclitetur: quamuis aliquando si altera saltem pars eius, siue ventriculus alter illæsus maneat, animal vita protinus non priuetur.

CEREBRVM *est pars cæteris mollior, albicans, dupliei meninge, siue membrana probè contecta.*

299 *Meninx enim cerebri est tum pia, tum dura mater.*

Pia mater est membranula tenuissima, cerebrum proximè ambiens.

Dura mater est membrana supra piam durior, cranio alligata.

300 *Cranion est os densissimum, caput vniuersum continens.*

301 *Hoc ipsum tegens extrinsecus membrana cui capilli fixi sunt, περικράνιον dicitur.*

Cranion verò suturis quibusdam distinguitur, tanquam

ex certis partibus consutum.

Suturæ aliæ veræ sunt, aliæ mendosæ.

Veræ suturæ nominantur, quæ manifestè instar linteolorum consutæ apparent, earumq; aliæ rectæ sunt, aliæ obliquæ,

Recta est in medio capite versus occipitium sita.

Obliquæ sunt tum Coronalis, tum Lambdoides.

Coronalis est in sincipite transuersim sita, vbi coronæ imponuntur.

Lambdoides est in occipitio, figuram literæ Græcorum Λ *repræsentans.*

Suturæ mendosæ sunt vtrinque singulæ in temporibus conspicuæ.

302 *Cerebri porrò, siue capitis excrementa vel liquidiora sunt, vel crassiora.*

303 *Liquidiora capitis excrementa sunt Lachrymæ.*

De Lachrymis.

304 LACHRYMAE *sunt humiditates è cerebro per angulos oculorum erumpentes.*

Quò igitur angulorum illorum carnes fuerint maiores & laxiores, eò copiosiores & frequentiores lachrymæ profluunt.

Et maximè quidem si corporis natura atque complexio frigidior simul & humidior sit. Vnde fœminæ magis quàm masculi ad lachrymandum pronæ sunt: & viri illi, qui similem mulierum naturam obtinent.

Corporis autem constitutionem plurimùm etiam auget ambientis aeris status, qui hyeme frigidior oculos constringendo humiditates elicit, æstate calidior oculos relaxat, vt spontè & liberè effluant.

Crassiora, quæ ex capite expelluntur, recrementa, sunt tum aurium sordes, tum narium mucus.

305 *Aurium*

305 *Aurium sordes sunt humidæ excretiones cerebri, in aurium cauitate post collectionem computrescentes.*

Narium mucus est crassius cerebri excrementum per nares eiectum.

Excrementum illud, quamuis pituitoso humori omninò simile videri possit, à pituita tamen prorsus alienum est.

Hæc de excrementis Cerebri.

306 *CEREBRO cognata est medulla spinæ: eo ipso tamen durior & paulò calidior.*

Spina autem dorsi est pars ossea, rotunda, trigintaquatuor vertebris in longitudine constans.

Partes sensui ac motui destinatæ minùs principes sunt nerui.

In quibuscunque igitur partibus nerui afficiuntur: istæ quoque ad motum ineptiores redduntur, adeóque immobiles fiunt.

Nerui sunt partes spermaticæ tenues, rotundæ & albicãtes, crassiorum instar filamentorum.

Nerui alij sunt molliores, alij duriores.

Molliores, in quibus exquisitior est facultas, sextuplici pari, siue combinatione è cerebro orti in alias partes deducuntur.

Prima coniugatio fertur in oculos, cuius nerui idcircò nominantur Visorij, aliis vniuersis crassiores.

Secunda coniugatio est neruorum oculos mouentium.

Tertia in linguam inseritur, & gustatum defert.

Quarta in palatum & ori substratam tunicam decurrit.

Quinta auditui inseruit.

Sexta orificio ventriculi inseritur, eiq; sensum & motum impertit.

Et huius beneficio, siue ductu, leuissima quæque ventri-

culi

culi affectio propter tenuitatem substantiæ capiti facilimè communicatur.

Duriores deinde nerui sunt, in quibus obtusior magis est facultas, iiq; è spinali medulla oriuntur.

Et triginta horum numerantur paria, vtrinque è medulla spinæ singulis exurgentibus: quorum deductione totum dorsum suas affectiones facilè percipit.

De Partibus respirationis.

307 PARTES *animales motui solummodò destinatæ sunt partes respirationis.*

308 *Respirationis partes principes in thorace sunt tum pulmones, tum cor ipsum.*

Quare his etiam læsis, respiratio protinus læditur: ideoq; si substantia illarum partium intrinsecus vsque vulneretur: lethalia omninò vulnera sunt.

PVLMO *est pars spongiosa & rara, mollis, coagulatæ sanguinis spumæ similis, situ suo ad dextram nonnihil declinans.*

309 *In pulmones spiritus deducitur per asperam arteriã linguæ radici connexam.*

Aspera arteria est canalis longior è multis annulis cartilagineis continuata serie in pulmones desinens.

Cauitati huius si quid inciderit alienum in assumptione alimentorum spiritus læditur & ipsa respiratio, adeoq; suffocationis periculum oritur.

Hinc moriuntur & pereunt animantia vel piscium spinis, vel ossiculis, vel capillis etiam, aliisve in asperam arteriam rebus absorptis.

COR *est pars carnosa, solida, & probè compacta, pyramidi propemodum similis.*

Huius duo sunt ventriculi, dexter & sinister.

Dexter

Dexter pulmonibus per venam arterialem ſanguinem communicat.

Vena iſta arterialis, à ſubſtantia dicitur propria, & officio, quòd aliâs arteriarum eſt.

E ſiniſtro cordis ventriculo oritur Aorta omnium arteteriarum radix & truncus maximus.

310 *Arteriæ ſunt vaſa concaua, craſſiuſcula, ſpiritum in corde genitum, per totum corpus diſtribuentia: & ab hoc officio nomen traxerunt.*

311 *Excrementum reſpirationis partium principalium eſt ſputum & excreatio.*

Sputum ex thorace eiuſq; partibus eiicitur, eſtq; ſeu ſpuma flatulenta.

312 *Si cum ſono eiiciatur, Excreatio dicitur.*

Huius materiæ redundantia & ſuperfluitas ex colore diiudicatur: rubrũ enim ſputum, ſanguineũ: flauum, cholericũ: albicans, pituitoſum: nigricans deniq; melancholicum eſt.

313 *Partes reſpirationis minùs principes ſunt, Diaphragma & Mediaſtinus.*

314 DIAPHRAGMA *eſt panniculus membranoſus, vndique lateribus tranſuerſim alligatus.*

315 *Membrum hoc partes thoracis determinat, & concludit: vnde ab interſepiendo & diſtinguendo nomen etiam ſuum traxit.*

MEDIASTINVS *eſt geminus panniculus totum pectus ſecundum longitudinem in duo latera diuidens.*

285 *Per ſe*] Non per ſe omnes, nam ipſe pòſt aliquorum continentium fulcra doces. Quod autem fulcro eget, id haud per ſe ſuſtentatur: ſed alio nititur.

286 *Fulcrum*] Non omnes corporis partes: nam & tegentes nil tegit: & reliquæ partes fulcientes ſuo ſe ſuſtentant robore.

287 *Suſten-*

287 *Sustentaculum*] Non omnia ossa sustentacula sunt:namque dentium alius est vsus. Et quædam ossa muniunt nec fulciunt, vt brechmatis, & supremæ caluariæ ossa.

288 *Ligamentis*] Non tantùm ossa, sed viscera, & partes aliæ plurimæ vinculis connectuntur.

289 *Crassiora*]Sunt & tenuissima, & mollia, cuiusmodi à pleura, & peritonæo, visceribus oriuntur.

290 *Exanguis*] Cutis exanguis non est, vt facilè experienti apparet : quid quod temperatissima pars sit,ex venis, arteriis ac neruis contexta?

291 *Tenera*]Membrana materiam significat, non instrumenti nomen. Ex membris autem, aliæ vincula sunt, vel tendines : aliæ tunicæ.

292 *Facultatum*] Inauditum (Scriboni) facultatis excrementum : excrementum omne vel partium est corporis, vel eius quod in alimento superfluum, & facultatis, & à facultate actionis opus est, facultas nulla, nec quatenus tale est, vsum in corpore præstans. Neque abs te hîc commemoratus sudor omnium partium commune excrementum est, sed habitus tantùm.

293 *Venarum*] Non venarum: sed habitus & carnium: venarum namque humiditates renibus secernuntur.

294 *Substantiam*] Quasi verò ex meatibus colorẽ contrahat? Cur ergo sanguis venis, & arteriis albis contentus, non albicat? Neque partium substantia tenues facit sudores, sed ipsius excrementi natura.

295 *Christo*]Christi sudor stillabat guttis sanguineis, non tingebatur. Vt fortè nonnullis morbo correptis contingit : neque satis commodè ad sudorem interpretandum huius exemplum affertur.

296 *Aliæ*] Animalibus vitales ſunt priores, quia pluribus inſunt: ergo prius ex methodi lege tractandæ.

297 *Exercentur*] Non in quibus exercetur (nam id ferè fit in ſingulis corporis partibus) ſed animalium facultatum inſtrumenta, cerebrum, & à cerebro manantes nerui, animales partes tantùm cenſendæ.

298 *Motus ſimul*] Primùm de motu ſolo ſtatuendum, quia vniuerſalior: tum de motu ſenſu comitato, tractandum: nam alterutrum ſeorſum, ambobus ſimul priùs eſt.

299 *Meninx*] Vbi de tegumentis egeras, opportunius de meningibus egiſſes. Tegunt enim hæ cerebrum, & pariter (maximè dura) muniunt.

300 *Caput*] Non caput vniuerſum: ſed cerebrum tantùm: capitis namque pars eſt, ſeipſum autem nihil continet.

301 περικράνιον] Capilli capitis cuti infixi ſunt, quæ à pericranio alia eſt, idemque continens & veſtiens. Quod namque aliorum oſſium perioſtium dicitur, id propriè cranij pericranion appellatur.

302 *Cerebri*] Cur hoc loco, vt in prædictis, particularem excrementorum doctrinam tradis, cum vniuerſalem prætérieris? Particulare autem niſi ex percepto vniuerſali manet obſcurum. Neq; partium propriè excrementa ſunt aliqua, ſed nutritionis, & ſuperflui alimenti. Si enim partium cum excremétis excretio foret, citiſſime corpora in ſudores, in vrinas, in deiectiones, & ſputa ſoluerentur.

303 *Liquidiora*] Æquè liquidum per nares ſtillat, nec non per palatum, in arteriam & pulmones dilabens, tuſſi moleſtum eſt.

304 *Angulos*] Annon ex glandula lachrymali, quę non

non ad oculorum angulum ſedem habet ? Ex hac namque lachrymæ mulierculis excernuntur. Niſi ad maiorem tãtùm angulum meatu præditum referas, minor enim nunquam lachrymas fundit.

305 *Computreſcentes*] Salubriter degente animali, nullum excrementum computreſcat per illum naturæ ſalem.

306 *Cognata*] Quo modo cognata (Scriboni?) Vt cauſa, vel effectum : ſubiectum aut adiunctum. Hij namque omnis rerum cognationis fontes ſunt. Nam ſimilitudo cognationem nullam facit. Cum nihil tam diuerſum ſit, quod non aliqua ratione ſimilitudine conueniat : at ſpinalis medulla nil horum eſt:quid ergo?Certè aliud quid,vel cerebri pars ſaltem, à quo producitur ; atque tum quatenus totum integrat, priùs proponenda. Membra enim inſunt integro, non integrum membris : ſed cum homoiomera cum cerebro ipſo ſit, eiuſdem axiomatis argumentum continet, nec cerebro cognatum habendum. Cerebellum autem (quod prætermittit Scribonius) cerebro germanum eſt, & ab eo prorſus diſcretum. *Calidior*] Immo frigidior: cùm longè abſit à fonte cerebro (quemadmodum vna voce conſentiunt medici) & hac nerui molles adhuc frigidiores.

307 *Solummodo*] Oſſibus exceptis (Scriboni) in corpore partes nullæ ſenſu orbatæ. Quod autem animali virtute præditum eſt, & motioni tantùm inſeruit, id ſenſu deſtituitur: eiuſmodi autem pars nulla in corpore exiſtit, ergo nec reſpirationi inſeruientes : ſunt enim omnes ſenſu præditæ à natura.

308 *Pulmones*] Præcipuum reſpirationis inſtru-

mentum

mentum ſeptum tranſuerſum Galeno, & medicis habetur. Hoc enim, niſi coacto animali, ſatis thoracem agitat, ex quo moto, pulmones frigidam auram admittunt, & calorem temperant. Et cum pulmones nullum ex ſeſe motum obtineant, vt ratione & experientia conſtat, ſed cedant thorace moto; mirum certè quemadmodum in animum induxeris ad animales partes motioni deſtinatas referre. *Cor*] Fortuna potiùs, quàm conſilio iſta tibi excidiſſe credo (Scriboni) cor enim voluntario motu caret: ergo non eſt pars animalis motui deſtinata, cùm eiuſmodi omnis ſit liber, & ex arbitrio mouentis, reſpirationi autem nihil omninò tanquam inſtrumentum confert. Eſt enim pars calore maximè ſeruiens, & tanquam vniuerſi corporis focus, cui temperando, & perflando, ne ſuffocetur, pulmones deſtinantur folles: ipſo interea nullum vſum reſpirationi præbente. Motus autem quo ſe cor quatit, pars nulla reſpirationis eſt, ſed naturalis, ad illam à pulmone illectam frigidam auram percipiendum, & ad ſpiritus vitales elaborandos comparatus.

309 *Arteriam*] Cum aſpera arteria nec princeps, nec minùs princeps ſit, reſpiratoria pars tamen: videris quò referas.

310 *Spiritum*] Non ſpiritum tantùm: ſed & ſanguinem cordis calore, & motu, & pulmonum agitatione, tenuem, atque elaboratum, vt ex arteriotomia, vel ipſius arteriæ anatomia liquidò conſtat.

311 *Sputum*] Sunt pulmonũ excrementa ſputum, & excreatio: cordis autem nullo modo poterũt eſſe: quî namque ex corde prodirent? Niſi ex vena arteriali

riali cum ſanguine: ſanguis autem ille, à corde percolatus, purior eſt, quàm vt ſputi inquinamenta cõtineat: & frigidum admodum excrementum cum ſit, & minùs calidæ partis potiùs temperamentum referens, alio quàm ad cor referendum.

312 *Sono*] Nũquam non cum ſono eiicitur excreatus. Nam illud ſputum abſque ſono eiectum, vel de capite fluit, vel per œſophagi tunicam, è ventriculo in os prorepit.

313 *Mediaſtinus*] Illæ binæ perpendiculo thoracem interſepientes membranę, mediaſtinum dictæ, immobiles ſunt: non itaque animalis motus inſtrumenta, nedum reſpirationis exiſtimandæ.

314 *Panniculus*] Diaphragma nobiliſſimus eſt in corpore muſculus: non panniculus carnoſus, & motu voluntario præditus, panniculus autem carnoſus in homine, motus voluntarij expers eſt. Habet certè Diaphragma tendinem in medio ſatis amplum, qui membraneus panniculi carnoſi ſimilitudine fortè tibi impoſuit.

315 *Determinat*] Nõ thoracis partes diſterminat, ſed ipſum thoracem, & vitalia inſtrumenta, à naturalibus diſtinguit.

Hucuſque de partibus Reſpirationis: ſequuntur Vitales.

316 PARTES *Vitales ſunt, quæ ſpecierum animantis conſeruationi inſeruiunt.*

Deſtinatæ nimirum vel ad nutritionem, vel ad generationem.

317 *Partes in quibus nutritio perficitur, principes ſunt Ventriculus & Epar.*

318 VEN-

318. VENTRICVLVS *est pars mēbranosa, gulæ adhærens, rotunda, sed oblongior, multis fibris intertexta: omnium concoquendorum alimentorum culina.*

GVLA *est canalis nervosus cibum ex ore in ventriculū inuehens.*

319 *Fibræ sunt tenerrimæ quasi filamenta, quorum beneficio Ventriculus munere suo fungitur.*

Sunt autem vel rectæ, vel curuæ.

Rectæ attrahunt alimentum.

Curuæ vel obliquæ sunt, vel transuersæ: illæ retinent assumptum alimentum: hæ verò expellunt excrementa.

Excremētorum Ventriculi per superiora eiectio, Vomitus dicitur: estq́, eius quod in Ventriculo redundat expulsio.

Sed excrementum eiusmodi sæpenumero aliunde ex aliis partibus in Ventriculum regurgitatur.

Vētriculo superiacet in dextro latere Epar, suis lobis eum amplectens.

EPAR *est pars nutritionis carnosa, concreti instar sanguinis rubescens, proximè sub diaphragmate sita.*

In Epate autem fit secunda concoctio: alimenti videlicet in ventriculo conuersi in chymum, siue massam rubicundam mutatio.

Ex Epate oritur vena caua: aliarum omnium venarum radix.

320 VENAE *sunt partes concauæ, rotundæ, sanguinē in corpus vniuersum deducentes.*

321 *Harum substantia, siue tunica sextuplò tenuior est, quàm sint tunicæ arteriarum, quarum substantiam ob motum vehementiorem spirituum oportuit esse crassiorem.*

Actio Epatis vt rectè perfici possit, mediantibus venis, ei connexæ sunt aliæ particulæ, quæ redundantes in eo humores excipiunt.

Excipiunt autem vel bilem, vel aquositatem.

Bilem flauam vesicula fellis: nigram lien excipit.

VESICVLA *fellis est pars membranosa, in concauo Epatis figuram pyri exigui repræsentans.*

LIEN *est pars oblongior, instar soleæ in sinistro latere, ex aduerso Epatis, paulò tamen inferius posita.*

322 *Aquositatem verò ex Epate excipiunt tum* Renes, *tum Vesica.*

RENVM *substantia est caro solida, ac densa: qui adhærent vtrinque circa lumbos, venis emulgentibus, è Vena caua exortis.*

E lacuna Renum *propendent deorsum Vreteres.*

Vreteres nempe sunt venæ albicantes, angustiores, aquositatem è renibus in vesicam deducentes.

VESICA *est pars membranosa, rotunda, vrinam in se continens.*

Vesicæ enim contentum recrementum Vrina est.

VRINA *autem est serositas à sanguine in* Renibus *segregata, & in Vesica plenius expurgata.*

Hæc in corpore, præsertim hominis temperato & salubri, substantia est mediocris, quantitate potioni assumptæ respondens: colore subrufa, aut subflaua: sedimento albo, leui & æquali, sine bulla & aliis eiusmodi.

Et scire licet integrum corpus esse, cùm quotidie Vrina manè alba & paulò pòst rufa est: illud siquidem concoquere, hoc concoxisse significat.

Mediocris autem Vrinæ substantia est, quæ media est inter tenuem & crassam.

Tenuis enim Vrina arguit corporis imbecillitatem, dominantemq́; frigiditatem, partiumq́; concoctionis cruditatem.

Et hæc quidem vel semper talis manet, vel iterum turbatur: illa nondum cœpisse concoctionem, adeoq́; extremam cruditatem indicat: hæc verò coctionem iamprimum cœpisse ostendit.

Crassa

Crassa autem Vrina iumentorum instar, excessum materiæ, siue concoctionis partes implentis denotat.

Sed sæpissimè & hæc denuò attenuatur, & tamē parum aliquid inæqualis turbulentiæ superesse significat.

Variatur tamen Vrina, & secundum ætatem hominum, eorumq; complexionem, tum secundùm diætandi rationem, & animi affectus.

Vrina enim infantium plerunque est alba & lactea: puerorum Vrinæ spissiores sunt, non tamen ita albæ, Iuuenum Vrina est subaurea, & subcrocea. Senum, alba & subtilis. Decrepitorum, tenuis, & magis alba.

Si complexionem consideres, Cholerici Vrina debet esse citrina. Phlegmatici, pallida & spissa. Sanguinei, rubea & mediocris. Melancholici, glauca & tenuis.

Et quia alia complexio est mulierum, alia virorum, huius quoq; ratio habenda est: Vrinæ enim mulierum sunt magis albæ & crassæ, quàm virorum, & minus pulchræ.

Diæta quoque vrinam sæpissimè immutat. Ita Crocus aut Cassia sumpta Vrinam reddit citrinam Qui diu ieiunarunt, horum Vrina fit flammea & flaua. Qui nimium comederunt eorum Vrina est magis albicans.

316 *Specierum*] Naturalium partium istud munus est; speciem conseruare: quibus & omnis propagatio fit, & nutritio. Quid enim vterus atque testes ad vitam? Et cum cor ipsum vitæ autor partibus singulis existat, quo vel tantillum spiritum negante, reliquarum omnium vires momento concidunt, ipsum cor vitæ arcem, non respirationi inseruiens instrumentum statuisses.

317 *Ventriculus*] Priùs de iecore, quàm de ventriculo egisses, quando huius vis cum ventriculo communicatur: & ipsum à sanguine, iecoris ope, alatur.

318 *Fibris*] Malè fibras ventriculi proprias existimas: sunt enim aliarum partium: venæ, arteriæ, cordis, musculorum, &c. æquè communes.

319 *Fibræ*] Et partes nonnullæ aliæ, omne genus fibrarum intertextum habent: vt cor, vterus, &c.

320 *Venæ*] Eiusmodi sunt & arteriæ. Quid ergo interest? Cauæ sunt, rotundæ, & sanguinem in vniuersum corpus deducentes. Corrigenda itaque ista venarum definitio.

321 *Spirituum*] Non ob spirituum motum, sed ipsorum arteriarum corporum: hæ namque à propria virtute, non à spiritu arteriarum cauo contento agitantur motu. Neque motus, crassiores postulat, sed tenuis & spiritalis sanguis: ne tenuitate transudet, vel percoletur.

322 *Epate*] Serum non ex Hepate elicitur, sed ex vniuerso venarum, & arteriarum genere. Vt ex emulgentibus vtrisque, & ipsorum renum situ, perspicuum intuenti apparet. Reliqua huius capitis sunt medicinalia, non physica, quæ de valetudinis signis habentur. Omnis verò valetudinis perceptio, scholam medicorum, non physicorum postulat, & physicis posterior est.

Hucusque de Partibus nutritionis principalibus: sequitur de Reliquis.

323 *PArtes concoctioni inseruientes minùs principes sunt tum intestina, tum inter hæc mesenterion.*

INTESTINA *sunt partes oblongæ, spermaticæ, rotundæ & concauæ, pyloro ventriculi annexæ.*

Intestina alia sunt gracilia, seu tenuia, alia crassiora.

Gracilia.

Adhuc de Terreſtribus: ſequitur de Aqueis animantibus.

AQueæ ſunt animantes, quæ in aquis potiſſimùm degunt.

Eiuſmodi ſunt piſces, & quæ his adiiciuntur, Catus, Canis marinus, Hippopotamus.

De Piſcibus.

PISCES *terreſtribus animantibus, quantum ad partes, in pleriſque ſunt ſimiles: ſanguinis tamen minorem copiam habent.*

Vnde illis etiam frigidiores omnes & humidiores exiſtunt.

Piſces vel molliores ſunt, vel duriores.

Molliores ſunt vel ſquamoſi, vel cute tantùm tecti.

Squamoſi piſces ſunt Carpio, Lupus, Perca.

Cute tecti ſunt Anguillæ.

Duriores piſces ſunt, vel cruſtacei, vel teſtacei.

Cruſtacei ſunt Cancer, Sepia, Locuſta marina.

Teſtacei piſces ſunt Conchæ Margaritiferæ, & aliæ.

Hucuſque de Animantibus irrationalibus: ſequitur de Animante rationali.

329 *ANimans rationalis eſt homo.*

330 HOMO *vt creaturarum aliarum omnium eſt nobiliſſimus, ita perfectiorem præ illis corporis ſtructuram ſortitus fuit.*

331 *Materiatum hominis principium præter commune ſemen, eſt ſanguis mulierum menſtruus.*

332 *Conceptio autem eius fit, ſanguine illo, qui prius fluere conſueuit, ceſſante, vt purus omnino ſit vterus.*

Sanguis

Sanguis menstruus est sanguis statis mensium temporibus ab vtero deiectus.

Aggregatur hic in fœminis ob imbecilliorem frigidioremq; earum constitutionem.

Erumpit autem primùm circa annos pubertatis corpore facto vegetiore.

Et singulis mensibus deinceps periodicè effluit, tum propter naturæ periodicam consuetudinem, tum propter sempiternos Lunæ cursus.

Copiosiores quidem pro copia redundantium humorum.

Sæpe etiam augentur disruptis, erosis, vel alio modo apertis vasis.

Post conceptionem iterum orificio vteri occluso menses retinentur, vt iis fœtus nutriri possit.

Ex retentis enim mensibus purior portio ad alendum fœtum in matricem cedit.

Reliqua autem impurior pars in alias partes regurgitatur: vnde plurimæ grauidarum affectiones oriuntur, vomitus, citta, corporis grauitas & aliæ.

Conceptionem factam esse mulieres deprehendunt ex commotione Vteri, quæ quasi conuellit, & paulatim in se vterum contrahit ad concipiendum.

Idem arguit matricis orificium arctissimè conclusum.

Partium porrò conformationis rudimentum 7. die, vel perfectius 15. perspicitur.

Hinc inchoata principia sua figura propria exornantur, & robur aliquod nanciscuntur.

Mox reliqua membra formantur & distincta plenius apparere incipiunt circa diem 26. Et perfectè quidem omnia in maribus 30. in fœminis 36.

Circa hos dies fœtus etiam primùm viuere & sentire incipit.

Mouetur deinde mas quidem 3. fœmella autem 4. mense.

Nutri-

Nutritur ita & increſcit deinceps vſque ad 9.menſem.

Poſt nonum itaque menſem grandior factus, membranas rumpendo, forâs editur.

Et huic diſruptioni fœtuſq; emißioni ſuppetias adfert fundus vteri ad os iam ſatis apertum ſeſe contrahens, fœtumq; propellens.

333 *Atque hæc eſt hominis, propter quem omnes aliæ creaturæ hactenus propoſitæ à Deo factæ ſunt, conceptio, conformatio, & procreatio.*

329 *Homo*] Egeras (Scrib.) libri primi initio de anima humana, quid igitur hic ſupereſt, niſi de corpore diſputare? taceo vim maximam humanæ Naturæ illatam, animam à corpore cælo, terra, mari vniuerſis denique Naturis reliquis dirimire.

330 *Perfectiorem*] Pulchriorem Naturâ ſtructuram habet, & generis dignitatem referentem: æque tamen perfectam habent & ad robur, & ad celeritatem, animantia quædam alia.

331 *Hominis*] Non hominis, ſed corporis humani, quod menſtruo alitur: ſi hominem vis, incidis incautus in animæ traducem. *Sanguis*] Et quadrupedum genus viuiparum, ex materno ſanguine materiam habet, vt viuipara omnia. nam quòd menſtrui; fluxus periodos habent, nihil ad corporis nutritionem facit, cum matrici exciderit, & fluere aliis animantibus, equabus, vaccis, & canibus nonnunquam contingat.

332 *Purus*] Non ideo ceſſat, vt conceptioni purus ſit vterus, ſed vt fætui nutrimentum ſuppetat: adde quòd non tantùm per fundum, ſed etiam (prægnante muliere) interdum per vteri ceruicem expurgentur.

333 *Hominis*] Humani corporis, non hominis: cuius

cuius partem maximam libro primo ad Naturas tantùm formatas retulisti.

Hæc sunt (Doctissime Scriboni) quæ adhuc tibi etiam atque etiam disputanda sunt: vt perfecti Physici magistri laudem consequaris. Laudo institutum tuum, ac vehementer probo; & macte virtute esse suadeo, vt incœpta hæc, eò & ingenio, & arte producas, nil vt desit aut ad operis nobilitatem, aut ad nominis tui perpetuam memoriam. Nisi tu is es, qui nobis Physicam methodo facilem, & omnibus partibus expolitam dederis, desperabundi tanti operis, & tantis difficultatibus implicati expectatione, tabescemus. Succurre nobis igitur, & excita te: & Spartam hanc Scribonio, id est, viro libero, & liberalis ingenij dignam, perge exornare. Quæ scripsi in te, eo animo accipias velim, vt & satisfieri in multis abs te cupiam: & vt adhuc tibi superesse ad nomen & ad opus absolutum nonnihil intelligas. Ego si forte errauerim, (quod humanum est) te, vel quenquam alium, rectiora monstrantem sequar ducem. Interea quia Philosophus es, & imprimis Christianus, istud qualecunque animi mei studium, boni consule.

FINIS.

qui mihi esse videbatur. Cum
t, quàm sciat, quem fugiat, aut
lit, qui patriam reliquit, Ita-
ii, contigit: victus sum. quod
idere possum, quæ nunquam ti-
c me hercule istum, propter
neis, sed memetipso carendum
cripsi de viatico, siue à Mone-
ue ab Opijs tuis contubernali-
ibi mandabo. Vale.

roconf. M.T. Ciceroni
p.S.A.8.11.

er legi. Recognoui enim tuam
n, etiam in salute communi.
m, quem in Apulia habui,
ere te hortor pro tuo singulari,
Remp. vt te ad nos conferas, vt
afflictæ opem atque auxilium
Appia iter facias, & celeriter
Cura vt valeas.

EGo quòd per Thessaliam, si irem in Epeirum, per-diu nihil eram auditurus, & quòd mei studiosos habeo Dyrrachinos, ad eos perrexi, cum illa superiora Thessalonicæ scripsissem. inde cùm ad te me conuertam, faciam vt scias, túque ad me velim omnia quàm diligentissime, cuiusmodi sunt, scribas. Ego iam aut rem, aut ne spem quidem expecto. Vale. 6. Calend. Decemb. Dyrrachij.

M.T.C. T.P. Attico S. A.3.1.

CVm antea maxime nostra interesse arbitrabar, te esse nobiscum, tum verò, vt legi rogationem, intellexi ad iter quod constitui nihil mihi optatius cadere posse, quàm vt tu me quàm primum consequâre: vt cùm ex Italia profecti essemus, siue per Epeirum iter esset faciendum, tuo, tuorúmque præsidio vteremur: siue aliud quid agendum esset, certum consilium de tua sententia capere possemus. Quamobrem te oro, des operam, vt me statim consequare. facilius potes, quoniam de prouincia Macedonia perlata lex est. Pluribus verbis tecum agerem, nisi

enim credo esse habita: quibus absolutis, scribis, ille placuisse agi de nobis. si tibi stultus esse videor, qui sperem, facio tuo iussu, & scio te me ijs Epistolis potiùs, & meas spes solitum esse remorari. Nunc velim mihi planè perscribas, quid videas. Scio nos nostris multis peccatis in hanc ærumnam incidisse, ea si qui casus ex parte correxerint, minus molestè feremus nos vixisse, & adhuc viuere. Ego propter viæ celebritatem, & quotidianam expectationem rerum nouarum, non commoui me adhuc Thessalonica: sed iam extrudimur, non à Planco (nam is quidem retinet) verùm ab ipso loco minimè apposito ad tolerãdam in tanto luctu calamitatem. In Epeirum igitur, vt scripseram, non iui, quòd subiti mihi aduersi nuntij venerant, & literæ, quare nihil esset necesse quàm proximè Italiam esse. Hinc si quid à comitijs audierimus, nos in Asiam conuertemus, neque adhuc stabat, quo potissimum: sed scies. Vale. *12. Calend. Sextil. Thessalonicæ.*

M.T.C.T.P. Attico S. A.4.14.

tre, deinde à C. Cæsare, ... pub. fortè (soles enim tu hab... bas ad me. Si nihil habebis, ... Nunquam enim mihi tua epis... aut loquax visa est. Maximè ... is, totóque itinere ex sententia ... mum reuisas. Dionysium iube ... leas.

M.T.C.P. Attico. S...

A*D vj. Iduum Maij veni in ... tium: ibi mihi tuæ literæ ... tio abs te die. Eodem autem ex... mo dederam ad te literas: n... quid scriberem: qui de Repub. ... so. In oppidis enim summum vi... ta inania. quid de ijs cogites, ... lim. Ad quas literas tibi resc... las enim adhuc acceperam, pr... mul in Trebulano redditæ sunt ... ctum Publij Licinij habebant ...*

os scribas, vt mihi tui libri pateant, non secus, ac si ipse adesses, cum ceteri, tum Varronis: Est enim mihi vtendũ quibusdam rebus ex ijs libris ad eos, quos

in

tuus operam mihi dat egregiar

bam: & lucet. Beneuenti cog

continentia, & diligentia facie

dis, frugi hominem : ac, ne liber-
r, planè virum bonum. Pom-
Decembr. fuimus unà horas duas
fortasse,

non me totũ perijsse arbitrabor. Vale. *Nonis Sextil.*

M.T.C. T.P. Attico. S. A.3.14.

Ex

M. T. C. T. P. Attico...

NOn fuerat mihi dubium, quin te Tarenti, aut Brundusij visurus essem, idq; ad multa pertinuit in eis, vt & in Epiro consisteremus, & de reliquis rebus

me comitem putas debere ... giam habeo, quem sequar, tu meum consilium laudas,

...os & Reip. & saluti co-
n...obrē cum constituisses, vt
ad 5. Id. Feb. Corfinio pro-
ficisci

cum, vbi pro meo iure diutius esse possem, quam in
fundo Siccæ, præsertim nondum rogatione correcta,
& simul intelligebā, ex eo loco, (si te haberem:) posse
me Brundusium referre: sine te autem non esse nobis

C

illas

